PAULI IOSEPHI MERONI PRESBYTERI MEDIOLANENSIS AD AULICOS ET...

Paolo Giuseppe Meroni, Giovanni Battista Coccini

Digitized by Google

6
35 L
13

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
13. C

27

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PAVLI

IOSEPHI

MERONI

PRESBYTERI

MEDIOLANENSIS

AD

AVLICOS

ET

PRINCIPES

COMMENTARII

IN

PSALMVM

CXLV.



LVGDVNI,

Sumptibus Horatij Cardon.

M. DC XV

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILL^{MO} COMITI

CHRISTOPHORO
MARLIANO
P. IOSEPHVS MERONVS
S. D.

HOs in Dauidis Pſalmum CXLV. Commentarios, quos aulicorum quorumdam hortatu elucubratus ſum, vt ſummi amoris obſeruantiæque erga te meæ tibi monumentum aliquod publicis litteris conſignatum extaret; Tibi nobiliſſime Iuuenis Do, Dono, ac Dico. Cui autem eas lucubrationes, quibus adulationis imperium excindendum ſuſcepimus: humanæ Naturæ imbecillitatem, rerúmque terrenarum inconſtantiam Principibus ob oculos ponimus: nobiliſſimáſque virtutes, Veritatem, Fidem, Iuſtitiam, Liberalitatẽ, Clementiam ceteráſque Principe dignas in ſuum Regnum reſtituere conati ſumus, potius dicarem, quàm tibi, qui in iſto ætatis flore, in iſta fortuna, & natalium ſplẽdore, Virtutem, præci-

* 2 puum

Digitized by Google

puum in hac vita hominis bonum, colis quàm
qui maximè?qui(ſummatim dicam)optimo Pa-
rente tuo Rogerio dignus es filius?Quid ego te
rogem?An vt hunc noſtrum librum ſæpe legas?
Minimè. Quídni enim librum ab homine tui
amantiſſimo conſcriptum, tuóque potiſſimum
impulſu in lucem editũ,legas, qui(cùm eos pa-
ti non poſſis, quibus inertia pro ſapientia eſt,
honeſtúmque laborem veræ germanæque no-
bilitatis fructum eſſe ſcias) totus in libris es?
Hoc certè te etiam atque etiam rogo, vt per-
ſuadeas tibi, me in te amando ac obſeruando
nemini vmquam conceſſurum. Vale. Romæ
Nonis Sext. M. D C. X I V.

Digitized by Google

CANDIDO LECTORI S.

Miraris lector, quòd ego, qui vix aulam à limine ſalutaui, ad res aulicas ſcribendas acceſſerim? Deſine mirari. Aulicus certè non ſum, nec eſſe velim.

Seneca in Thyeſte. Stet quicumque volet potens
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis ſaturet quies,
Obſcuro poſitus loco
Leni perfruar ocio.

Seneca ep. 116. *Imbecillitatis meæ mihi conſcius lubricum timeo.* In ſicco quoque (*aiebat Romanus Sapiens*) parũ fortiter ſtamus. *Quid tamen?*

Hor. Fungar vice cotis acutum
Reddere quæ ferrum valet exors ipſa ſecandi.

Et quidem, ſi ſpectatores aleæ haud minori, imò perſæpe maiori ſtudio, quàm aleatores ipſi varios fortunæ ludos obſeruant; quam ego temeritatis notam ſiue incurram, ſiue pertimeſcam, ſi aulicis, qua ratione ſubeunda tractandáque ſit alea, ne ſemper damnoſi ſubſiliant canes, dicere coner? Mitto hiſtoriam, hoc eſt, veritatis lucem, vitæque magiſtram, qua ſemper mirificè delectatus ſum. Mitto doctiſſimorum clariſſimorúmque virorum conſuetudinem, quam cotem ingeniorum eſſe, affirmare non dubito. In hac Vrbe, quam ego per iocum Fortunæ fritillum nominare conſueui, cùm iam inde à teneris annis educatus ſim, cùm diu vixerim, multipliceſque fortunæ ludos ſpectauerim, quæ

Sæuo læta negocio, &
Ludum inſolentem ludere pertinax
Tranſmutat incertos honores
Nunc mihi, nunc alij benigna;

cùm demum permultorum ingentia damna viderim & indoluerim, quidni mihi liceat ea promere, quæ vſui aulæ futura putem?

Haud mihi in hoc opere conſilium eſt, mi lector, ingenuos aulicos à Principum ædibus deterrere. Turbant eiuſdem vitam, qui iſthuc faciūt, ſed quorūdam tantùm illiberalia & in adulationem procliuia ingenia coërcere; Chriſtianam regulam in aula rectè viuere cupientibus paucis tradere; Principes demum de ſuo officio, cùm publico, tum domeſtico, pro re nata, admonere.

Quamquā autē aulicorū nomine Palatini vulgo ferme cenſeātur, eo ipſo tamen illos quoque nos comprehendi volumus, qui ſiue ad aucupandam, ſiue ad tuendam ſui Principis gratiam quottidie aulam frequentant, ac terunt. Omnes illos demum qui cùm priuatam, tum publicam Principibus operam nauant, attingunt lucubrationes noſtræ.

Quia verò pauci prudentiā honeſta ab deterioribus (*vt inquit Cornelius*) vtilia à noxiis diſcernunt: plures aliorū euentis docentur: *operæpretium me facturum putaui, ſi præter illa, quæ ex Annæo Seneca, viro prudentiſſimo, ac diutiſſimè in aula verſato, atque adeò ex aliis grauiſſimis auctoribus ad comparandam prudentiam decerpſi, exemplis ex hiſtoria quoque, maximè autem ex ipſo Cornelio, hoc eſt, optimo, cùm Principum, tum aulicorum inſtitutore petitis, noſtras paſſim ſententias illuſtrādas & confirmādas ſuſcepero.* Tac. an. lib. 4.

Scito à me multa conſultò prætermiſſa, de quibus Princeps & Aulicus admoneri potuiſſent, ne extra Dauidicos cancellos, quos mihi initio præſcripſi, euagarer. Fuerunt nonnulli, qui aulicam artem ſe docere profeſſi ſunt; fuerunt, qui Politicam & Oeconomicam diſciplinam clariſſimis monumentis illuſtrarunt, rectūque ac tutum iter Chriſtianis Principibus demonſtrarunt. Eos, qui altiùs imbui cupiat, adire poterit. Mihi ſatis in præſentia ſit Dauidis Pſalmum pro ingenij mei tenuitate, quanta poſſum facilitate explicare.

Quòd verò in hac ſacrorum locorum expoſitione Ethnicorum, præſertim verò Poëtarum teſtimonio ſæpius vſus fuerim, nolim, candide lector, mihi vllo modo ſuccenſeas; non enim id eo conſilio feci, vt ſacra profanis, cœlūmque (vt ita dicam) tartaro miſcerem, ſed vt eos viros, in quorum gratiā hos Cōmentariolos elucubratus ſum, per ea ipſa ſtudia, quibus illi dediti ſunt, ad huius Pſalmi cognitionem ducerem. Sic

olim

Digitized by Google

olim ſapientiſsimus Deus Aſtronomos Magos ad ſacroſanctum Chriſti Domini præſepe, ſtella duce perduxit. Sic Auguſtinum, humanioribus quippe litteris egregiè excultum, Ciceronis Hortẽſio, in quo Philoſophiæ laudes continentur, ad veram Chriſtianámque Philoſophiam capeſſendam allexit. Sic Apoſtolus Paulus ſancti Spiritus inſignis præco Iudæo Iudæus, Græcus Græco, omnibus demum omnia fieri cupiens, in Areopago libenter Græcum Poëtam ſibi teſtem adſciuit, miſcuitque vtile dulci. Sed quid ego in bona cauſſa tamquam ſupplex ago? An miles ille, qui non vt transfuga, ſed vt explorator aliena caſtra perluſtrarit: an is quoque, qui ex impuriſſimis Idolorum templis vaſa aurea & argentea in Chriſtianæ religionis auguſtiſſimum ſacrarium aſportarit, iure in crimen vocandi ſint, tuum iudiciũ eſto. Certè ſanctiſſimi Patres Gregorius Nazianzenus, Baſilius, Nyſſenus, Hieronymus & alij quamplurimi ſanctitate ac doctrina florentes, qui paſſim in ſuis clariſsimis monumentis externas diſciplinas cum diuinis coniungere non dubitarunt, & quibus in ſacra Theologia magiſtris vtimur, omni me metu liberant. Nimirum, Vt in arbore (*inquit Baſilius*) tametſi præcipuũ illius munus eſt, vt pomis iiſque pulchris & tempeſtiuis abundet, frondes etiam quæ agitatur in ramis afferre ornatũ ſolent; ita ſanè proprius atque germanus animi fructus eſt veritas, haud tamen indecorum eſt externa quoque ſapientia quaſi frondibus præditum eſſe, quæ & tutetur fructus & aſpectũ præbeat non iniucundum. Hinc Magnus ille Moyſes, cuius nomen omniũ ſermone celebratur, tum demũ ſeſe ad eum QVI EST contemplandum contuliſſe dicitur, cùm Ægyptiorũ litteras percepiſſet. Cui ſanè haud eſt illud de Daniele ſapientiſſimo, quáquam poſterioribus ſæculis longè diſſimile; hunc enim ferunt non antea diuinam ſapientiam attigiſſe, quàm Babylone Chaldæorum imbutus eſſet ſapientia. *Hactenus Baſilius.*

Ὁμιλ. πρὸς τοὺς νέους.

Sed nos hæc præfati Dauidem ipſum audiamus.

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, in ſacra Theologia Magiſter, & diuini verbi Prædicator in ſancti Pauli huiuſce ciuitatis Canonicus, & in hac Lugdunenſi diœceſi à Domino Dionyſio Simone de Marquemont, Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Archiepiſcopo, Librorũ cenſor deſignatus: Fidẽ facimus nos *Commentarios hos P. Ioſephi Meroni Presb. Mediolanenſis in Pſal.* 145. euoluiſſe, nihilque in eis à Catholica, Apoſtolica, & Romana fide, & probis moribus diſſonum non modò non contineri, ſed doctrinam planè ſanam ſanctorum Patrum ſcriptis ex toto conformem, fidelibus maximè proficuam, eruditè (ſic viſum nobis) tradi. Lugduni apud Sanctum Paulum XI. Idus Iulias. M.DC.XV.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE.

R. D. D. Thomæ de Meſchatin la Faye, huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus & Camerarius Eccleſiæ Lugdunẽſis, & Vicarius Generalis in Archiepiſcopatu Lugdunenſi: Opus quod inſcribitur *P. Ioſephi Meroni Presb. Mediolanenſis Commentarij in Pſal.* 145. vt in lucem edatur, facultatem concedo, Lugduni 8. Maij 1615.

MESCHATIN LA FAYE.

CONCESSIO.

COMMENTARIOS hos *P. Ioſephi Meroni Presb. Mediolanenſis in Pſal.* 145. Ego Iacobus Daueyne Regis procurator typis mandari, tum demum in lucem exponi conſentio.

Daueyne.

SVMMA PRIVILEGII A CHRISTIANIſſimo Galliarum Rege conceſſi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum eſt, atque patentibus Litteris cautum, ne quis in Regnó ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſſionis primæ inchoandos, ac numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione conetur librum, qui inſcribitur *P. Ioſephi Meroni Presb. Mediolanenſis Commentarij in Pſal.* 145. præter HORATIVM CARDON Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eadem auctoritate Regia omnibus ſuis ſubditis, eumdem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, & inſtigare, ſine conſenſu dicti HORATII CARDON. Idque omne ſub confiſcatione librorũ, aliiſque pœnis originali Diplomate contra delinquẽtes expreſſis. Datum in Fonte-bellaqueo, die vigeſimaquarta Octobris, anno milleſimo ſexcẽteſimo decimoquarto.

De mandato Regis,

Signatum

BRVLART.

Digitized by Google

PSALMVS CXLV.

Halelu-jah. Lauda anima mea Dominum; laudabo Dominum in vita mea; pſallam Deo meo quamdiu fuero.

CVM ſanctiſſimus Rex Dauid vehementer cuperet cùm omnes, tum præcipuè Aulicos à terrena vanáque ſpe ad cœleſtem ac ſolidam erigere; Pſalmum hunc diuino Spiritu afflatus cõpoſuit, vt in eo tamquam in clariſſimo quodam ſpeculo mortalium Principum infelicitatem & corruptos mores, inuictum autem Dei robur inſignémque bonitatem cerneremus, atque ita cognito rerum humanarum ac diuinarum diſcrimine, omnia noſtra ſtudia ad ſempiternum Numen conferremus.

Pſalmum hunc Dauid cõpoſuit, vt nos à terrena ſpe ad ſpem diuinam transferat.

Cæterùm à diuina laude (ad quam os homini præcipuè datum eſt) exorditur diuinus Vates, non modò, vt ea auſpice ac duce aggredi cuncta diſcamus; nõ modò, vt quamdiu vixerimus, beatas illas mentes, quibus diuina laus cibus eſt perpetuus, imitemur, verùm vt fallacem & adulterinam laudem, qua ſeſe terrena vanáque ſpes tamquam vallo tutari ſolet (quos enim honores, quas opes non ſperat adulator ſuo verſatili ingenio fretus?) labefactet ac diruat. Intelligebat nimirum vir ſapientiſſimus adulatione collapſa, inania mortalium vota,

Dauid à diuina laude Pſalmum auſpicatur, vt fallacem laudem, ſanctæ ſpei inimicam, excindat.

 ta,

Digitized by Google

ta,ſuo quippe robore deſtituta, præcipiti lapſu caſura, cœleſtémque ſpem in ſuum regnum facillimè reſtitui poſſe.

Et nos igitur ab eadem diuina laude ſcriptionē noſtram & conatum auſpicantes, ac pro viribus Dauidis inſtitutum ordinémque ſectantes, orationis arietem in adulterinam iſtam laudem blandámque perniciem dirigamus, conemúrque eam ſuis ſedibus euertere, vt ea tandem vnà cum ſpe vana euerſa ac diruta, cœleſtis diuinæque ſpei nobiliſſimum triumphum comitemur.

Definitur adulatio, & fallax laus damnatur, non ſyncera.

Sit adulatio ex Auguſtini ſententia, FALSA LAVDE SEDVCTIO. Vides non omnem laudem damnari, ſed fallacem. Virtutem laudatam perinde atque arbuſculam aqua irrigatam creſcere tritum eſt ſermone prouerbiū. Illud æquè vulgare, *Pulchrum à laudato viro laudari*. Nec me latet cùm virū virtute præditum laudas, abs te Deū ipſum, è quo omne bonum, tamquam ex perenni fonte manat, laudari. Magno tamen iudicio, magna cautione opus. *Vt excitantur quidam ad meliora magnitudine rerum, hebeſcunt alij, ita ſanè & laudibus*. Fit quidem aliquando, vt aliqui ſuas laudes audientes, veluti quibuſdā ſtimulis cōcitati vlterius ferantur in virtutum curſu: fit etiam non rarò, vt multi laudibus tamquam impacto lupato refrænentur, conſiſtántque perinde ac ſi è carceribus ad calcem perueniſſent. Vidi ego huiuſmodi homines aliquādo ita efferri, vt calcibus aëra & obuios quoſque peterent. Hæc ſanè pericula conſiderans Peſcennius Niger, viuum ſe placere velle, prudenter dictitabat, mortuum etiam laudari.

S.Aug. tom.10. hom. 20.

Corn. Tac.lib. 3.annal.

Quotuplex adulatio ſit, & quā perniciosa declaratur.

Cæterùm homo homini plerumque adulatur, *vel cùm eum falſa laude demulcet, vel cùm nimium eius bona extollit, vel extenuat, comprobátve culpam*. Hæc breuiter quæſo, ſingillatímque percurramus, cuniculóſque iſtos in

Princi

Digitized by Google

Principum perniciem deliteſcentes indicemus.

Riſum is potius videtur prima fronte excitare, ac fabulam aliquam agere, quàm damnum vllum afferre, qui ingenium, doctrinam, nobilitatem, artis militaris peritiam, aliáq; eiuſmodi bona in homine alioqui imperitiſſimo ac viliſſimo ad ſydera vſque tollat, ac modò eum Platoni, modò Alexandro Magno, ac Cæſari parem faciat: ſed profectò iſte verſipellis, quamquam lepidus alicui videtur, perfacetus, omniúmque (vt aiunt) horarum homo; damni tamẽ non minimum affert cùm illi ipſi, cui turpiter aſſentatur, tum Reip. Certè ignauiſſimus ille terræ filius alter videlicet Mida auro auribúſque aſininis inſignis, falſa iſta laude delinitus, adeò inflatur, adeò extollitur, inſanítque, vt præ ſe omnes deſpiciat, vt ſolus cernere rerúmq; cauſſas cognoſcere, cæcus cùm ſit, ſibi videatur, ſolus loqui ac linguam habere in hominum cœtu, cùm vix tria verba coniungere ſciat, ſolúſque pugnare ac vincere, cùm (vt aiunt) *in pace ſit Leo, in prælio ceruus.* Porrò quanta pernicies ex ea re, quæ homines extra ſe rapit, belluiſq; quamſimillimos facit. *Laus falſa.*

Quid verò hinc (inquies) damni in Remp.? Multum profectò; præſertim verò in eam Remp. in qua Populus viget. Nam, vt cordati viri (quorum in omni ætate perexiguus eſt numerus) nihili faciant ventoſi hominis ridiculum faſtum inſulſámque arrogantiam; plebecula certè (*cui nullum iudicium, aut veritas*) quæque *non delectu, aut ſapientia ducitur ad iudicandum, ſed impetu, & quadam temeritate*, eũ ſuſpiciet, dignúmq; iudicabit, qui legationes obeat pro Rep. cui magiſtratus deferantur, cui pacis ac belli ſumma committatur. Is itaque, qui regendus ipſe eſt (plurium clamore ſuffragióque vincente) auriga fiet, magiſtratúmque geret, is exercitus curam ſuſcipiet, qui ne militiæ quidem fecit tyrociniũ, ac ne hoſtis quidem

Tac. lib. 1. Hiſt.
Cic. pro Plan.

Digitized by Google

iratum vultum, nedum exertum gladium conſpexit vmquam. Ab hoc turbine, qui fluctus (bone Deus!) quæ naufragia? Sed & in Monarchiam perniciem iſtam petulanter irrumpere, ſæpe teſtantur hiſtoriæ. Ecce tibi egregius ille Pallas Claudij libertus (vt de innumeris aliis taceam) qui *triſti arrogantia modum liberti egreſſus, tædiũ ſui mouerat; qui velut arbitrum regni agebat;* quo Agrippinæ (*decus, pudorem, corpus, cuncta regno viliora habentis*) impotentia ac ſuperbia nitebátur. Vnde, vnde inquam illi tantus tumor, ac prope thraſonicus faſtus? Non tam opinor ex ſui Principis gratia, qua mirum in modum præcelluit, quàm ex impura hac adulatione. *Additum à Scipione Cornelio* (refert Tac.) *grates publicè* [Pallanti] *agendas, qui Regibus Arcadiæ ortus, veterrimam nobilitatẽ vſui publico poſtponeret, séque intra miniſtros Principis haberi ſineret.* Scilicet venale mancipium trãs mare aduectum (vt ex Plinio diſcimus) Regibus Arcadiæ ortum eſt. O fœdam adulationem, & planè indignam Scipione! Sed hæc ex veteri hiſtoria. An vllos noſtra hac tempeſtate eſſe putas, qui vana iſtiuſmodi adulatione ſibi ad honores opéſque viam ſternere conentur? Sunt ſunt, mihi crede, & quidem quamplurimi. Non ita pridem nos in libellum quemdam incidimus, cuius egregius auctor ex Plutarcho aliíſque veteribus deſumpta apophthegmata ad ſuum Mœcenatem, ad ſuum præſidium & dulce decus (proh pudor!) tamquam ad auctorem ineptiſſimè tranſtulerat. Quid? Eiuſmodi aliæ nugæ, imò apertiſſima mendacia (quæ quidem Bibliothecarum opprobriũ ac dedecus lubens nominauerim) proſtant paſſim vænalia, nec ſplẽdidiſſimam veritatis lucem (tanta eſt impudentia) pertimeſcunt. Iſtáne eſt noſtri ſæculi vrbanitas? Iſtáne Venus? Apage monſtrum fœdiſſimum.

Tac. lib. 13.

Tac. lib. 12.

Laus immodica. Sunt quidem qui à falſa hac laude abſtinent, haud tamen

Digitized by Google

tamen ab immodica. Et hi coërcendi. Porrò vt leui flatu ignis creſcit, graui diſſipatur atque extinguitur, ita ſanè modicis laudibus excitantur ad virtutis decus, qui immodicis ſoluuntur in vitia: & quemadmodum flumina, quæ ſuis ripis coërcita leniterque fluentia, magnas vtilitates afferunt accolis, immodicis autem imbribus aucta extráque ripas effuſa, aruis vaſtitatem inferunt, ædificia labefactant, homines interceptos præfocant, obuia demum quæque populantur; ita ſæpe vſu venit, vt illi, qui moderatis laudibus erecti ſibi ipſis aliiſque maximè proderant, nimiis extra ſe abrepti, laſciuiant, inſaniant, ſibíque ipſis adeò placeant, vt nullis iam optimorum conſiliòrum obicibus coërciti, iura omnia miſcere ac perturbare conentur. Equidem ſi quæras vnde morum corruptelæ, vnde clades acceptæ originem ducant, eas non aliunde, quàm ex hac nimia laude extitiſſe plerumque reperies.

Seneca lib. 6. de benef. *Cùm bellum Græciæ indiceret Xerſes* (inquit Seneca) *animum tumentem oblitúmque quàm caducis confideret nemo non impulit. Alius aiebat non laturos nuncium belli, & ad primam aduentus famam terga verſuros. Alius nihil eſſe dubij, quin illa mole non vinci ſolùm Græcia, ſed obrui poſſet, magis verendum, ne vacuas deſertáſque vrbes inuenirent, & profugis hoſtibus vaſtæ ſolitudines relinquerentur, non habituris vbi tantas vires exercere poſſent. Alius vix rerum naturam ſufficere, anguſta eſſe claſſibus maria, militi caſtra explicandis equeſtribus copiis campeſtria, vix patere cœlum ſatis ad emittenda omni manu tela. Cùm in hunc modum multa vndique iactarentur, quæ hominem nimia æſtimatione ſui furentem concitarent; Demaratus Lacedæmonius ſolus dixit ipſam illam, qua ſibi placeret multitudinem indigeſtam & grauem metuendam eſſe ducenti, non enim vires, ſed pondus habere, immodica numquam regi poſſe, nec diu durare quicquid regi non poteſt. In primo,* inquit, *ſtatim*

monte Lacones obiecti dabunt tibi ſui experimentum. Tot iſta gentium millia trecenti morabuntur. Et paulo pòſt. *Acciderunt, quæ Demaratus prædixerat. Diuina atque humana impellentem & mutantem quicquid obſtiterat, trecenti ſtare iuſſerunt, ſtratúſque per totam paſſim Græciam Xerſes intellexit quantum ab exercitu turba diſtaret. Itaque Xerſes pudore quàm damno miſerior Demarato gratias egit, quòd ſolus ſibi verum dixiſſet.* Ex hac ipſius Xerſis confeſſione perſpicuè colligitur, quàm illi exitioſa fuerit immodica adulatorum laus.

Laus extenuatrix alienorũ ſcelerum.

Neque verò illa ferenda eſt adulatio, quæ illorum imitatrix, qui montes ad itinera perrumpunt, aliena ſcelera extenuare ſtudet. Hac illi præcipuè oblectantur, qui homini iuuenili furore præcipiti atque in omne libidinũ genus, laxis, vt aiunt, habenis furenti, impudentiſſimè lenocinantur, aiúntque in eo ætatis flexu haud magnum eſſe flagitium ſcortari, & quouis modo libidinem explere, vino epulíſque ſeſe ingurgitare. Non multum inde damni rem familiarem paſſuram. Ampliſſimum eſſe patrimonium. Cõdonandum aliquid iuuentuti. Interea continentiam Monachis relinquendam. Rei infinitam eſſe miſericordiam. Meretricibus, ſicariis, atque periuris cœlum patuiſſe aliquando. Numquam vel in medio libidinum gurgite ſpem ſalutis abiiciendam. Tantiſper indulgendum genio, dum fert ætas, legendum ante florem, quàm cadat. In ſenectam, ætatem lachrymis ac mœrori accommodatam, reiiciendam eſſe pœnitentiam. Hæc illi aliáque permulta in eamdem ſententiam ex Epicuræorum luſtris.

Sanè vt quotidiana eſt hæc adulatio, ita quoque pernicioſiſſima. Túne improbiſſime leno Dei Opt. Max. pedes dura compede conſtringendos putas? Teſtudineo ille quidem incedit gradu, verùm an numquam audiſti

Digitized by Google

audiſti vindictæ moram ſupplicij grauitate compẽſandam? Tune flagitioſiſſime diuina miſericordia per ſummum ſcelus abutere. An ignoras Deum tam eſſe miſericordem, quàm iuſtum? Quot diuinæ iuſtitiæ extant veſtigia, cùm in veteri, tum in nouo Teſtamento? *Nimirum Deus* (vtar verbis S. Cypriani) *quantum Patris pietate indulgens ſemper & bonus eſt, tantum Iudicis maieſtate metuendus eſt.* His nos vocibus hortatur Zacharias ad ſanctimoniam, *In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris;* tu iuuentutem, partem ſcilicet meliorem ætatis dæmoni deuouendam dicis? Patuit quidem cœlum hominibus, qui per ſcelera ſeſe à Deo abalienauerant, at non ante patuit, quàm anteactam vitam deteſtati ſunt; ieiuniis, eleemoſynis, caſtimonia, vigiliiſque caſtigarunt. Quid tu inſane in ſenectam, grauem ſcilicet ætatem laboriſque impatientem, pœnitentiam reiicis? quid tu aſellum ſenio confectum innumerabiliúmque criminum ſarcina onuſtum alia eáque graui ſarcina onerare non dubitas? Bene quidem mones numquam de diuina clementia deſperandum: ſcio enim homini per benignitatem Dei, pœnitentiæ locum eſſe vſque ad extremum ſpiritum. *In iſto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla ſera eſt*; verùm quis tibi homo audaciſſime recipiat, te *ſi carnem tuam corruperis, pœnitentiæ tempus inuentum, ac non potiùs in eorum numero futurum, qui operantur iniquitatem*? Neque verò te pudet cœlibatum in Monaſterium tamquam in piſtrinum trudere? Num eos iuuat imitari, qui haud fruſtrà libidinis igniculos homini à natura datos garrientes, Monaſteriorũ ſepta recluſerunt, Virgineſque Deo ſacratas ſacrilego nefarióque matrimonio iunxerunt? Quàm hæc ab homine Catholico aliena, quàm Hæreticis familiaria!

S. Cyprian. de lapſis.

S.Cypr. contra Demetr.

S.Ephrẽ Syrus in diſput. de Virginit. & caſtit.

Laus vitia tamquam virtutes extollens.

At quàm infamis, quámque funeſta ea ſit laus, qua homo

homo alia re nulla nobilis, quàm ſcelere afficitur, qua vitium virtutis larua obtegitur, vel me tacente, hiſtoriæ ipſæ ſcænęque paſſim demonſtrant. De ea loqui videtur Dauid, inquiens: *Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* Et Ezechiel his verbis: *Et ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto abſque paleis. Parietis quippe nomine* (ait Gregorius) *peccati duritia deſignatur. Ædificare ergo parietem eſt contra ſe obſtacula peccati conſtruere, ſed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur, vt quod illi peruerſè agentes ædificant, ipſi adulantes quaſi nitidum reddant. Væ* (pergit Propheta) *qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas. Ad hoc quippe* (ait idem auctor) *ſub cubito puluillus, vel ceruical ſub capite iacentis ponitur, vt molliter quieſcat: quiſquis igitur malè agentibus adulatur, puluillum ſub cubito, vel ceruical ſub capite iacentis ponit, vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quieſcat.* Pſal. 9. Ezech. 13. Diſ. 46. cap. ſunt nonulli.

Audias interdum nec ſine ſtomacho vitiorum mancipium ab hominibus impuriſſimis virtutum exemplar dici, hominem natum abdomini ſuo, non laudi, telluris inutile pondus, Patriæ parentis nomine cohoneſtari, contumelioſum in Deũ & homines, ſtrenuũ prædicari, dignúmque cui exercitus regendi cõmittantur: auaritię labe infamẽ, parcũ appellari atq; cordatũ; hominẽ, qui in epulas, ludos, venationes, ac demum in flagitia quæq; profundat pecunias, liberalitatis nomine donari. *Ita comitatẽ bonitatémq; fauentes* (de Vitellio loquitur Tacitus) *vocabãt, quòd ſine modo, ſine iudicio donaret ſua, largiretur aliena, ſimul auiditate imperãdi ipſa vitia pro virtutibus interpretabantur.* Ecquis vnquam niſi hiſtoriam legiſſet, extitiſſe homines crediḋiſſet, qui nefarium Neronis parricidium non excuſarint ſolùm, ſed etiam laudarint? *Sanè dum ille* Tac. lib. 17. an. Tac. lib. 14. an.

per

Digitized by Google

per ſilentium defixus (ſic enim loquitur Tacitus) *ſæpius pauore exurgens* (an ſurdo illo verbere conſcientiæ cæſus?) *& mentis inops lucem opperiebatur tamquam exitium allaturam: ecce tibi eum auctore Burro prima Centurionum Tribunoriúmque adulatio ad ſpem firmauit, prehenſantium manum, gratantiúmque quòd diſcrimen improuiſum & matris facinus euaſiſſet.* Sed quàm bellè gliſcat infamis adulatio, animaduerte. *Amici dehinc* (pergit Hiſtoricus) *adire templa, & cœpto exemplo* (ehu quàm multi peſſimo virorum illuſtrium exemplo inficiuntur) *proximæ Campaniæ municipia victimis & legationibus lætitiam teſtari.* An hic adulandi finis? Minimè. *Nam miro certamine Procerum decernuntur ſupplicationes apud omnia puluinaria, vtque quinquatria, quibus apertæ eſſent inſidiæ, ludis annuis celebrarentur. Aureum Mineruæ ſimulacrum in Curia & iuxtà Principis imago ſtatueretur. Dies natalis Agrippinæ inter nefaſtos eſſet.* Quid multa? Vide quàm latè acerbiſſimum virus iſtud fundatur. *Cunctanti* [Neroni] *in oppidis Campaniæ, quonam modo vrbem ingrederetur, an obſequiū Senatus, an ſtudia plebis repeteret anxio, contrà deterrimus quiſque, quorum non alia regia fœcundior extitit, inuiſum Agrippinæ nomen & morte eius accenſum populi fauorem diſſerunt. Iret intrepidus, & venerationem ſui coràm experiretur. Simul progredi expoſcunt, & promptiora quàm promiſerant inueniunt; obuias tribus, ferto cultu Senatum, coniugum ac liberorum agmina per ſexum & ætatem diſpoſita, extructos, qua incederet, ſpectaculorum gradus, quo modo triumphi viſuntur.* Quid ex proiecta iſta adulatione extiterit legis continuò. *Hinc ſuperbus ac publici ſeruitij victor Capitolium adiit, grates exoluit, ſéque in omnes libidines effudit, quas malè coercitas qualiſcumque matris reuerentia tardauerat.* Huc pernicioſiſſimis fallaciſſimorum hominum blanditiis perductus eſt Nero. Ecquidnam ſcelerum deinceps non audeat illa bellua, eccuius etiam ſan-

B guini

Digitized by Google

guini parcat, *qui cuncta ſcelerum pro egregiis accipi videt?* cui tam feliciter parricidium ceſſit, quàm ſi de Parthis triũphaſſet, longiúſque Rom. Imperij fines produxiſſet? Ex eiuſmodi aſſentatorum grege ſunt ij, qui ſepultam iampridẽ Monomachiam ab inferis excitare audent, impuriſſimáſque buccas inflantes nobile docent, artem arte ludere, illatáſque iniurias vlciſci. Hi homines in nouas cupiditates præcipites, in ſuámque perniciem ſponte currentes magis magíſque incitant, flagrantibúſque animis veluti faces addunt. Hi eoſdem infelices eò ſua furioſa oratione adigunt, vt more anguium (qui etiam obtrito capite cauda minantur) vel mortui cum aduerſario cõfligere aueant: quis enim non iudicet eum tametſi mortuum atque adeò ſepultum quodammodo pugnare, qui ſuis hæredibus mandauit, vt inimicitias fouerent, vt nullum vmquam verbum de pace facerẽt, ſed aduerſariorum ſemper ſanguinem ſitirent, vt demũ iugulari mallent, quàm ignoſcere? Hi Machiauellũ refodiunt, libróſque de dignitate conſeruáda, ac re tyránicè amplificáda pernicioſiſſimos circũferunt, illud idemtidẽ impiè repetẽtes, LICET SI LIBET, & Lucani illud, Tac. lib. 14.

Sceptrorum vis tota perit, ſi pendere iuſta
Incipit. Luc. lib. 8.

& illud Tyridatis, *Id in ſumma fortuna æquius quod validius, & ſua retinere priuatæ domus, de alienis certare regiam laudem eſſe.* Et illud demum quo nihil ſceleratius dici fingíque poteſt: *Cauendum ne dum cœlum cuſtoditur, terra amittatur.* Ex his & ille Brianus ganeo turpiſſimus extitit, qui Henrico octauo Angliæ Regi percontanti quàm graue peccatũ eſſet habere rem cum matre primùm, deinde cum filia, reſpondit, *tam graue quàm gallinam cum ſuo pullo comedere.* Hæccine vox non dicam Chriſtiano, ſed homine digna? Atqui cum riſu ab homine effrænato ac perdito Tac. lib. 15. Vide Nicolaũ Sanderũ de ſchiſmate Anglicano.

perdito

Iſa.5. perdito excepta fuit. *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis* (clamat Iſaias) *& quaſi vinculũ plauſtri peccatum.* Væ, væ inquam illis, qui proſperũ ac felix ſcelus virtutẽ nominantes, dicunt bonum malum, & malum bonum, cœlúmque cum barathro nefariè commiſcent.

Abéant abeant à Chriſtianorum cœtu importuni iſti aſſentatores, qui auidius multo, quàm hirudines miſeris hominibus ſanguinem exugunt, virtutem ſcilicet, & bonam famam, quibus honeſtus homo non ſecus ac ſanguine viuere ſe arbitratur. Præclarè profectò Diogenes, ſiue Anthiſtenes is fuit, periculoſius docuit incidere in κόλακας, quàm κόρακας, hoc eſt, in adulatores, quàm in coruos; corui ſiquidem cadaueribus inſidiantur, aſſentatores verò homini etiamnum ſuperſtiti oculos miſerabiliter effodiunt, cùm veritati, quam humanæ vitæ oculum non ineptè dixeris, tenebras offundũt. Næ illos in re meritò feris cõpararunt Bias, Crates Thebanus, ac Poëtæ Actæonem à ſuiſmet canibus, hoc eſt, aſſentatoribus laceratum fabulantes. Nec abſurdè fortaſſe eoſdem cum impuriſſimo dæmone contulerim, quem *nocturnum frumẽtariæ ſegetis interpolatorem* nominat Tertullianus; ſuis namque cæcis conſiliis (Principibus dormientibus, nihil inquam hoſtile ſuſpicantibus) ſata veritatis impuræ doctrinæ lollio contaminant. Quid igitur adulatione durius? quid crudelius?

Tertull. lib. de anima. Vide Platonẽ in Phædro.

Itaque Chriſtiane Aulice, ſi cùm tuam, tum publicam ſalutem amas, fucum omnem tamquam funeſtiſſimam peſtem abs te faceſſere iubeto. Nihil fœdius ignobiliúſque exiſtimato, quàm ex aliena libidine huc illuc fluctuare, magíſque vultum, quàm ingenium bonum habere. *Diligunt probi viri, vel certè non adulantur* (ait Ariſtoteles) iuſtitiæque ductum ſequentes, haud vlterius, quàm par eſt, cupiditatis æſtu ferri ſe ſinunt. Aut igitur

Aulicus admonetur vt adulationem fugiat.

Ariſtot. lib. 5. polit.

Digitized by Google

ſile, aut aliquid melius affer ſilentio. Dauid noſter cùm ſciret optimum tutiſſimúmque iter ad ſapientiam eſſe cuſtodiam oris; *Dixi* (aiebat aliquando) *cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator aduersùm me.* Os itaque tibi aulam ingreſſo acriter cuſtodiẽdum eſt. Non te quidem Harpocratem aliquem facio. Non te, vt Terminum in hortis figo. *Eſt tempus loquendi, eſt tempus tacendi. Rectè ergo Dauid (*inquit Ambroſius*) non ſilentium ſibi indixit perpetuum, ſed cuſtodiam.* Scio homini datam non ab re linguàm à natura. Scio etiam nonnullis perpetuum contumáxque ſilentiũ (quod ſcitè Seneca Tragicus *mutam libertatem* appellat) parum bene ceſſiſſe. Enimuero ſunt qui facilius *perferunt ſingula carpentem, quàm ſilentium omnia damnantis.* Verùm optarim vehementer, vt ea proferas, quæ ab honeſto ne latum quidem vnguem diſcedant, ne tu, vt olim Anaximenes à Theocrito Chio *verborum flumen, mentis gutta* vociteris, in eorúmque numerũ coniiciaris, quorũ omnis vis virtúſque in lingua ſita eſt. *Alliga ſermonẽ tuum ne luxuriet, ne laſciuiat* (monet ſanctiſſimus vir Ambroſius) *& multiloquio peccata ſibi colligat. Sit reſtrictior, & ripis ſuis coërceatur. Citò lutum colligit amnis exundans.* Conſule non Chriſtianos modò, ſed & profanos auctores, reperiéſque præcipuum linguæ officium eſſe Dei laudes canere, languẽtes homines in virtutum curſu incitare, ærumnoſos ex ſquallore ſubleuare, cauſſam miſerorum hominum ſuſcipere, amicos atque Remp. conſilio iuuare, non hominum auribus fœdiſſimè inſeruire, atque ad quemlibet Principis nutum orationem accommodare.

Pſal. 38. | Eccl. 3. | Ambroſ. lib. 1. off. cap. 3. | Seneca in Oedipo. | Tac. lib. 16. an. | S. Ambr. lib. 1. off.

Suadetur aulico, vt in cõſiliis dandis ab Euangelica doctrina ne diſcedat.

Et quidem quando in ea tempora natus es, in quibus (proh dolor!) is doctus, is perſpicax, is ſapiens iudicatur, qui vt à ſuo Principe gratiam ineat, ſepultas iamprimem

pridem

Digitized by Google

pridem Ariſtotelæas Machiauellicáſque de Tyrannide ſpinoſas diſputationes in vitam reuocet, Principibúſque viam aliquam indicet inſidiarum plenam; tu vide, ne rationem bono cōſilio ab immortali Deo datam in fraudem malitiámque conuertas. Scito ſacroſanctum Euangelium, ſacrorúmque canonum ſanctiones, diſputationum de regnando normam eſſe debere. Si quippiam occurrerit, quod vel tantillum ab Euangelio Catholicæque Eccleſiæ legibus deflectat; caue ne id vmquam probes, néve ſuadeas Principibus. *Dic illis, non quod volunt audire, ſed quod audiſſe ſemper volent.* (vtor Senecæ verbis) *Plenas aures adulationibus aliquando vera vox intret.* Et quia nonnullos *conſilij quamuis egregij, quod non ipſi afferunt, inimicos & aduerſus peritos peruicaces* eſſe conſtat: tu ſi fortè alios viros inſigni pietate ac doctrina præſtantes pro Iuſtitia, pro Chriſtiana Rep. pro Eccleſiaſtica immunitate liberius aliquid apud Principem dicentes audieris; vide, ne, vt acutior, doctior, rerúmque dominicarum ſtudioſior videare, Spiritui ſancto vim facias, cognitámque veritatem oppugnes.

Seneca lib. 6. de benef.

Tac. lib. 1. hiſt.

Mali Conſiliarij tam exitioſi Reip. ſunt, vt iuremerito non ſecus quàm ij, qui in fontem, ex quo vniuerſus populus haurit, venenum infundunt, parricidæ iudicetur. Verùm damna, quæ ex malo conſilio in Remp. importantur, prætereo. Tibimet, tibi, ô Aulice, ſi ſapis, ab imminenti ruina caue, ſi minus publico moueris malo. Prauum conſilium conſultori ſæpe peſſimū fuiſſe perhibent hiſtoriæ, nec mirum: *nam intuta, quæ indecora. Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput eius cadet* (docent ſacræ litteræ) *& plaga doloſa doloſi diuidet vulnera. Et qui foueā fodit, incidet in eam, & qui ſtatuet lapidē proximo, offendet in eo, & qui laqueum alij ponit, peribit in illo.* FACIENTI NEQVISSIMVM CONSILIVM SVPER

Praua conſilia conſultori exitioſa.

Tac. lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 27.

Digitized by Google

IPSVM DEVOLVETVR, ET NON AGNOSCET VNDE ADVENIAT ILLI. Mitto vetera. Recenti pæne memoria Ioannes Andreas Geneuæ homo primarius, vt aliquod ſpretæ Catholicæ religionis ſpecimen daret, Senatui Geneuenſi auctor fuiſſe narratur, vt quæ in ara maxima extaret tabula marmorea, ad carnificinā deinceps adhiberetur. Placuit perditis hominibus execrandū conſilium, verumenimuero non multo pòſt decretū ea de re factū in conſultoris caput recidit: nam ſceleris conuictus Ioannes Andreas, primus lapidem ſacrum impuriſſimo ſanguine cruentauit. Sed ſit potiſſimum ante oculos Cardinalis Volſeus, qui cùm odio in Carolum V. Imperatorem incitatus, Henrico Angliæ Regi perſuaſiſſet, vt vxori ſanctiſſimæ feminæ nuncium remitteret, ſuo demum ingenti lapſu Conſiliariis omnibus oſtendit, quàm periculoſum ac infame ſit diuinam legem effrænatæ ſuæ cupiditati poſtponere. Nempe is, qui è fæce plebis ad maximos honores euectus, ac totius ferme regni Anglicani moderator factus, omnium in ſe oculos atque animos conuerterat, an non miſer à Deo relictus ſuperbis magnificiſque ædibus à ſe Londini extructis locupletiſſimáque ſupellectile exornatis, fortuníſque omnibus, ipſo vel Rege dignis, euerſus in villam Aſherienſem relegatur, & paulo pòſt ad Eboracenſem Eccleſiam, cui præſidebat, dimittitur? An non demū dum iuſſu Regis inde captiuus Londinū ducitur, in ipſo itinere, veneno (ſi famæ credēdum eſt) ſibi vitā abſtulit? Alieno tu exēplo diſce ea conſilia Principi tuo dare, quæ à ſacroſanctis legibus ne tranſuerſum quidem vnguem diſcedant.

Iulius Poſcius in Fleg. militar.

Nicolaus Sanderus de ſchiſm. Anglica no lib. 1.

1. Atenim Terentianum illum (ais) ſic auribus meis inſuſurrantem audio,

Aulicus animi ſincer. tamen ſibi obeſſe, ſentiens.

Obſequium amicos, veritas odium parit. Terent.

Sanè

autem pro-deſſe argumẽ-tatur ab au-ctoritate Princi;um obſequium magis quàm veritatem probantium.

Sanè dominantibus magis obſequium probari, quàm veritatem, adeò clarum eſt, vt exemplis non ſit opus. Præterea ex quorumdam hominum, qui hac noſtra tempeſtate de rebus aulicis conſcripſerunt, ſententia, fines ſibi Aulicus tres præfigit; *Proprium* videlicet *commodum, domini ſui gratiam, qua commodum comparatur, ſeruitutem denique, qua gratia conciliatur. Proprium tamen commodum præcipuus finis, ad quem ille omnia ſua ſtudia confert.*

2\. *A fine quem ſibi propoſuit.*

Quid igitur faciat is, qui dignitatum opúmve gratia ſeſe aulæ mancipauit? Num ei ita viuendum eſt, vt finis, quem ſibi initio propoſuit, deprehendatur? Minimè verò, nam in aula oleum & operam perderet, eiiceretúrque tamquam lupus aliquis. Fucus igitur (pergis) accerſendus eſt, quo cupiditas iſta tegatur; Seianus diligenter imitandus, qui *fulgorem honorum à ſe numquam prælatum, excubias ac labores vt vnum ex militibus pro incolumitate Imperatoris malle iactabat.* Sofonij Tigellini, qui *non ſe vt Burrum diuerſas ſpes, ſed ſolam incolumitatem Neronis ſpectare* dicebat, artes perdiſcendæ, atque ea ipſa, quæ de oratore docuit Ariſtoteles, ad aulicum transferenda ſunt.

Tac. lib. 4. an.

3\. *Ab exemplo Seiani & Sofonij Tigellini.*

Tac. lib. 14.

Certè quemadmodum haudquaquam anticipatam probitatem requirit ille in oratore, ſed ſermonis inuolucris & artificio effictam, & quemadmodum fallaces captioſáſque ratiocinationes, quibus auditorum animi non modò flecti ac permiſceri, ſed etiam falli atque in omnem fraudem præcipites atque tranſuerſi agi poſſint, probat dúmodo ſint veriſimiles: mendaciúmque ipſum veritatis ſpeciem præſeferens, vſurpat alacriter; ita nec in aulico valde requirendus animi candor atque ſinceritas, verùm effingenda fuco aliquo & artificio, quod ſinceritatis ſpeciem habeat, nihílque demum vetat quominus eidem familiare debeat eſſe veriſimile mendacium

Ariſt. lib. 1. Rhetor. cap. 2.

4\. *Veriſimile mendacium ab Ariſtotele Oratori conceſſum ad ſeſe aulicus transfert.*

dacium, quo ſeſe Principis animo faciliùs inſinuet.

Hæc tu quidem pro tuo fuco & artificio, quo immanẽ auaritiam tuam & ambitionẽ occultare conaris. Bellum ſanè commentum, tuóque planè dignum ingenio!

1. *Refellitur obiectio & quã ſæpe periculoſa ſit adulatio probatur.*

Ego verò tantum abeſt, vt illud probem, vt ad Orcum potiùs, vnde natum eſt, detrudendum cenſeam. Fateor equidem dominantibus magis probari ſolitum obſequium quàm veritatem. Quid iam ſi probem, obſequio non ſemper amicos parari, artificiúmque iſtud haud ſemper vtile, quin & ſæpe periculoſum? Suadet Seneca viris humanis ac dulcibus, vt in hominum iracundorum conuictu abſtineat ab aſſentatione: nam *iracundos nimia*, inquit, *aſſentatio offendit, ſuntque aliqui, quibus non magis tutum eſt blandiri, quàm maledicere.* (Seneca lib. de Ira.) Porrò ſi priuatos homines non ſedat, ſed magis irritat, perturbátque adulatio, ſedabítne Principum mobilia, iracunda, ac turbulenta ingenia? Nihil minus. Audi Tyberij voces Senatu egredietis. O HOMINES AD SERVITVTEM PARATOS; *ſcilicet illum* (refert Cornelius) *qui libertatem publicam nollet, tam proiectæ ſeruientium patientiæ tædebat. Hic neque* PARENTIS PATRIÆ *delatum & antea vocabulum aſſumpſit, acerbéque increpauit eos, qui* DIVINAS OCCVPATIONES, *ipſúmque* DOMINVM *dixerant, vnde anguſta & lubrica oratio ſub Principe, qui libertatem metuebat, adulationem oderat.* (Tac. lib. 3. an.) Et, *Cenſuerat*, inquit, *Iunius Gallio, vt Prætoriani actis ſtipendiis ius apiſcerentur cum quattuordecim ordinibus ſedendi.* (Lib. 5.) Quàm ei adulatio malè ceſſerit, accipe. *Hoc pretium Gallio meditatæ adulationis tulit: ſtatim curia, deinde Italia exactus.* Claudium quoque adulatione Vipſani Cõſulis offenſum reperies. (Lib. 11.) *Ob ea Vipſanus Conſul retulit* PATREM SENATVS *appellandum eſſe Claudium, quippe promiſcuum* PATRIS PATRIÆ *cognomentum: noua in Remp. merita non vſitatis vocabulis*

Digitized by Google

vocabulis honoranda: SED IPSE COHIBVIT CONSVLEM VT NIMIVM ASSENTANTEM.

Viden illos ipſos Principes, quibus libertas inuiſa fuit, adulationem ægrè tuliſſe? viden quàm ſæpe ruinoſum ſit iſtud tuum obſequij perfugium?

Tac. lib. 4. At ſuos fines (inquis) habet adulatio, *quæ moribus corruptis perinde anceps ſi nulla, & vbi nimia eſt*; & ratio aliqua ineunda eſt aulico, qua artificium ſuum bellè tegatur. Sit denique ex Ariſtotelis ſententia veriſimile mendacium.

Quid? Túne intra eos fines conſiſtes, quos tot olim Senatores, tot Pontifices Tyberio Imperatore, tranſierunt? Túne inuolucrum aliquod reperies, quo adulationem tuam cœles? An neſcis ignes, qui diu ſuppoſiti doloſo cineri delituerũt, tandem emicare? Erras erras profectò, mi aulice, ſi putas fuci iſtius latebram fore perpetuam. *Fucus quocũque artificio tegatur tandem detegitur.*

Seneca ep. 79. *Quæ decipiunt, nihil* (inquit Seneca) *habent ſolidi. tenue eſt mendacium, perlucet, ſi diligenter inſpexeris.* Euolue hiſtorias ac reperies ſagaciſſimorum quorumque,

Tac. quibus *occultum ac ſubdolum fingendis virtutibus ingenium*, calliditatem tandem aliquando detectam.

At ſit tibi annulus Gygis. Lateat fucus. Cœles homines. Num conſcientiam tuam cœlare potes? Non equidem, nam *Honeſtas potius, quàm fucus ſequẽda eſt.*

Iuuen. ſat. 13. *Nocte diéque tuum geſtas in pectore teſtem.*

S. Ambr. lib. 3. off. c. 4. *Quæ autem pœna grauior* (clamat Ambroſius) *quàm interioris vulnus conſcientiæ? Quod ſeuerius iudicium, quàm domeſticum, quo vnuſquiſque ſibi reus eſt?* Et alibi. *Nihil agit ſapiens niſi quod honeſtum ſit, niſi quod cum ſinceritate ſine fraude ſit, neque quicquam facit in quo ſe crimine quoque obliget, etiamſi latere poſſit, ſibi enim eſt reus priuſquam cæteris, nec tam pudenda apud eum publicatio flagitij, quàm conſcientia eſt.*

An tu aulice Ambroſium, vel potius veteratores iſtos

Digitized by Google

aulicorum finem vna vtilitate metientes, ac præ ea flagitia quæque admittere non dubitantes audire maius? Scilicet boni aulici hæc eſt præcipua meta PROPRIVM COMMODVM, quod vt egregiè fallat, dominicæ vtilitatis ſpecie tegatur. Et vbi honeſtas tantis rectè philoſophantium laudibus commendata, ad quam certatim currere maiores noſtri glorioſiſſimum putarunt? Non eſt; non eſt in aulico hoc Circo. Deiecit eam effrænata mortalium cupiditas, *peſſimum veri affectus venenum.* Tac.

2. *Præcipuum aulici finem honeſtã ſeruitutem eſſe probatur.*

Cùm humanæ ſocietates ob id potiſſimum diuinæ ſapientiæ ſuauiter omnia diſponentis prouidentia inſtitutæ ſint, vt optatũ finem, quem noſtris viribus conſequi nequimus, aliena ope & adminiculo conſequamur, quis dubitet, quin inanes ac planè inutiles eæ forent ſi quiſque ſuas dumtaxat ſpes agitaret ſine publica cura? Finis itaque ſocietatis eſt ſine dubio eorum commune bonum, qui illa iunguntur. Hoc iacto fundamento; inter Aulicos ac Principes quamdam intereſſe ſocietatem dicere non dubitamus (quidni enim haud naturalem & coactam, ſed ingenuam ac voluntariam ſeruitutem ſocietatis nomine donemus?) Atqui ſi ſocietas eſt, commune aliquod bonum ſit eius finis neceſſe eſt. Sequitur itaque, vt aulicus ſui Principis incolumitatem potiſſimum ſpectare, eíque ſedulam ac ſinceram operam nauare debeat: ſequitur, vt Princeps tamquã bonus paterfamilias viciſſim aulico ſuo conſulat, ac de illo benemereatur. Porrò, cùm hæc ita ſint, ergóne erunt homines iíque Chriſtiani, atque adeò doctrinam profeſſi, qui diuinum conſilium, ac rerum ordinem peruertentes nobiliſſimum hunc finem non proprium, ſed aduentitium aulici finẽ appellent? Ergóne erunt, qui ingenuos homines vulpinari doceant, iíſque Seianum,

3. *Exempla Seiani & Tigellini reiiciuntur.*

num, Tigellinum, aliósque id genus ſycophantas totos ex fraude compoſitos tamquam optimi aulici exemplar ad imitandum proponant? Qualis fuerit Seianus, accipe.

Tac. lib. 4. an. *Corpus illi laborum tolerans, animus audax, ſui obtegens, in alios criminator. Iuxtà adulatio & ſuperbia, palàm compoſitus pudor, intus ſumma apiſcendi libido, eiúſque cauſſa modò largitio & luxus, ſæpius induſtria & vigilantia haud minus noxiæ quoties parando regnō finguntur.* Soſonij Tigellini flagrantiſſimas libidines & peſſimas artes, hic idem auctor commemorat. Hæccine Tyberianæ ac Neronianæ aulæ fœdiſſima oſtenta, imitanda ſibi duxerit aulicus Chriſtianus? O tempora, ô mores! Cachinnos tollent (ſat ſcio) verſuti iſti, atque orationem hanc noſtram exibilabunt, dicent etiam fortaſſe, me quid aula, quid vita ſit penitus ignorare.

Lib. 14.

Quid igitur? lubétne vt ſanctum Paulum Chriſtianę diſciplinæ magiſtrum ſapientiſſimum acceſſamus, qui hanc litem dirimat? En ille. *Serui* (quid ad Epheſios ſcribat audiamus) *obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate, ſeruientes ſicut Domino, & non hominibus, ſcientes quoniam vnuſquiſque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino ſiue ſeruus, ſiue liber.*

Cap. 6.

Ex auctoritate S. Pauli omnis adulatio dānatur, ſimplicitas probatur.

Vbi tua larua? vbi fucus, atque fallacia? Porrò ſi dominis, vt Chriſto ſeruiendum eſt, an proprium commodum, præcipuus finis iure dicendus ſit, tuum iudicium eſto. Certè ſi ſacras litteras euolueris, paſſim reperies Deum rerum omnium noſtrarum potiorem ſibi partem (& quidem meritò) vendicare. Quid igitur aliud ſibi vult Paulus, niſi, vt rem dominicam tuæ præponas? Monet ille ſeruos, vt *dominis ſuis obediant in ſimplicitate cor-*

Digitized by Google

dis ſicut Chriſto, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes: tu fucum neſcio quem cõminiſceris, quoad rem tuam augendam Principibus imponas, nec animaduertis nihil æquè Deum adiſſe atque hominem verſipellem?

At non de ingenuis aulicis, verùm de ſeruis ac mancipiis loquitur Paulus.

Ridiculum. Quid refert ſeruus ne ſit aliquis voluntarius, an verò neceſſarius? Num tibi quia iugum ſponte ſubiiſti ſancti Pauli, imò diuinam legem violandam putas? num ſimplicitatem, qua tantopere delectatur Deus, deſerendam? num mendacium adſciſcendum? Atqui ſi in illorum ſeruorum album referri pudet qui *faciunt voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate ſeruiuntque ſicut Domino, & non hominibus*; haud profectò dignus eris, qui bonus aulicus dicare; & qui mercedem vllam accipias, *vnuſquiſque enim quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, ſiue ſeruus, ſiue liber.*

Obiicit aulicus nudam ſimplicitatẽ eſſe parum decoram.

Ergóne (rurſus vrges) ſimplicitas nuda ſemper tamquam cynicæ ſectæ ſectatrix impudens palàm conſpiciatur?

Reſpondetur ſimplicitate cum prudentia iungendã eſſe.

Apage iſthuc. Nolo vt ſimplicitas omnibus ſeſe tamquam aliqua meretricula proſtituat. Chriſti Domini vocem potiùs audiendam cenſeo, qui columbarum ſimplicitatem cum ſerpentina prudentia coniungit. Pauli veſtigia ſequenda, qui Iudæo Iudæus, Græcus Græco, omnibus omnia fiebat; ſanctus Iacob imitãdus, qui vir ſimplex (Græcè ἄπλαστος, hoc eſt, minimè vafer) nominatur; & tamen cùm fratri primogenium præripuit, eúmque ad familiæ principatum currentem retardauit (id quod iam tum cùm ex aluo materna egrederetur, plantámque Eſau primo naſcentis apprehendit, præmonſtraſſe viſus eſt) quis dubitet quin ſerpentinam Gen. 25

pentinam

pentinam prudentiam præſetulerit?

Seneca ep.20. Nimirum ſapienter Seneca: *Nec dico,*aiebat,*ſapientem ſemper vno iturum gradu,ſed vna via.*Modò mi aulice ab honeſtatis tramite numquam deflectas,nihil refert quo gradu incedas. Cum claudo ac debili pedetentim ambulandum,ac pæne claudicandum interdum.Non ſemper,& cuiuis animi tui ſenſa aperienda ſunt. Opportunè quædam etiam ſimulanda. Arbores, quarũ radices nudæ citò areſcunt ac pereunt, is videlicet neſcit viuere, cuius cor temere omnibus patet.Quid multa? Prudentia, quæ humanæ vitæ oculus,ars, dux optimo iure nominatur, in rebus omnibus ſequenda eſt. Hæc quæ agenda,quæve omittenda ſunt, demonſtret. Hæc actiones regat. Hæc ad gubernaculum ſedeat, & per aulæ turbines procellâſque dirigat curſum,ſine hac fluctuabis non minus,quàm ſine rectore nauis tempeſtate

Salluſt. ad Cæſ. iactata: rectè enim Salluſtius,*Imprudentia pleraque & ſeſe demum præcipitat.* De Vitellio ſic tuus Cornelius.*Inerat tamen ſimplicitas ac liberalitas, quæ ni adſit modus in exitium vertuntur.* Sanè *Germanicus Tyberij nepos poſt ingentem victoriam* (ait idem auctor)*congeriem armorũ ſtruxit ſuperbo cum titulo,*DEBELLATIS INTER RHENVM ALBIMQVE NATIONIBVS EXERCITVM TYBERII CÆSARIS EA MVNIMENTA MARTI ET IOVI ET AVGVSTO SACRAVISSE. *De ſe* (pergit Hiſtoricus) *nihil addidit,metu inuidiæ,an ratus conſcientiam factis ſatis eſſe?* Dixerit hîc ſimplex aliquis aulæque ignarus Germanicũ non carere ſuſpicione adulationis, at non item humanarum rerum prudens,quippe qui longo rerum vſu didicerit *Principes ducum exercituúmque gloriam in ſeſe trahere ſolitos*, & qui ſciat maximos viros quòd *nimij fuerint memorandis quæ meruiſſent magnam ſibi inuidiam* conflaſſe:contra eos qui numquam *in ſuam famam geſtis exultaſſent,*

Tac. lib. 3.hiſt.

Tac. lib. 2.ann.

Tac. lib. 1.hiſt de Othone.

Tac. de Ant. I.

C 3 *taſſent,*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

taſſent, ſed ad auctorem & ducem vt miniſtri fortunam retuliſſent extra inuidiam fuiſſe, non extra gloriam: ſic ſe geſſit cum ſuo Tyberio Germanicus. Tac. in vita Agricolæ.

Eſto itaque in prærupto aulæ itinere latrunculis infeſto cautus ac prudens: temet idemtidem circumſpice, ſed ab omni fuco & mendacio abſtineto. Ineſt tibi honorum diuitiarúmque vlla cupido? Eam (ſuis modò finibus coercitam) per me vt abſcondas cœléſque licet, non tamen pelle vulpina, ſed ſerpentino corio, non vafricie, ſed prudentia. Vafricies, è qua Seiani fucus extitit, indignus ingenuo Chriſtianóque aulico, vt ſui voti compos fiat, libenter admiſerit mendacia, quin ſine mendacio manca mutiláque eſt. Prudentia, quippe quæ numquam ab honeſta via diſcedit, tantum abeſt, vt mendaciis gaudeat, vt ea hoſtiliter potiùs inſectetur.

4. *Confutatur Ariſtoteles fuco & mendacio aditũ patefaciens.*

Neque enim doctiſſimus noſter Ariſtoteles, quem pro tua libidine in medium protuliſti, mihi rectè philoſophatus videtur, cùm aditum patefecit mendacio. Libenter illum quidem ſequimur, cùm docet neminem niſi ſceleratum delectari mendacio, argumentationéſque quæ adumbrata potius quàm ſolita veritate nitentur, haud eſſe iniqua in cauſſa vſurpandas; ab eius tamẽ ſententia lõgè abhorremus, cùm vult falſas rationes veritatis ſpeciem præſeferentes in cauſſa iuſta vſurpari poſſe. Eum demum ferre piæ aures vix poſſunt docẽtem ad mendacium larua veritatis obtectum tamquam ad ſacram anchoram confugiendum eſſe. Ecquænam quæſo iuſta mentiendi cauſſa cuiquam eſſe poteſt. Audi mihi Lactantium. *In hac iuſtitiæ virtutúmque omnium via, nullus mendacio locus eſt. Itaque viator ille verus ac iuſtus non dicet illud Lucilianum,* Ariſtot. lib. 4. Eth. Ariſt. lib. 1. Rhet. cap. 2. Lactant. Firm. li. 6. de vero cultu cap. 18.

Homini amico ac familiari non eſt mentiri meum; ſed etiam inimico atque ignoto exiſtimabit non eſſe mentiendum, nec committet

Digitized by Google

mittet aliquando vt lingua interpres animi à ſenſu & cogitatione diſcordet.

Hæc ſanè cùm ita ſint quemadmodum ab optimo oratore mendacium arceri debet, ita ab aulico ingenuo & pio. Porrò non omnia nobis ad profanorum Philoſophorum ſupercilium ac regulam dirigenda eſſe luculenter Tertullianus docet, inquiens: *Quid ergo Athenis & Hieroſolymis? quid Academiæ & Eccleſiæ?* & paulo pòſt. *Noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt, qui & ipſe tradiderat Dominum in ſimplicitate cordis eſſe quærendum.* Et in Apologetico. *Quid adeò ſimile Philoſophus & Chriſtianus? Græciæ diſcipulus & Cæli? famæ negociator & vitæ? verborum & factorum operator? rerum ædificator & deſtructor? amicus & inimicus erroris? veritatis interpolator & integrator? furator eius, & cuſtos?* Eſt planè cur Ieſu Chriſto Domino noſtro immortales gratias habeamus, qui mentes noſtras veræ ſapientiæ lumine ita illuſtrauit, vt cuilibet aniculæ Chriſtianæ Dauidicum illud iam canere liceat, SVPER SENES INTELLEXI.

Tertull. de præſcript. adu. hæreſ.

Tertul. apol. c. 46.

Pſ. 118.

Quàm aptè præclariſſimæ hæ virtutes SIMPLICITAS & PRVDENTIA cohæreant inter ſe didiciſti.

Iam verò ſcias velim eos quoque, qui præclariſſimas has virtutes iungere vel neſciunt, vel nolunt, ſed in abrupta immodicæ libertatis feruntur, fruſtrà, ſi pereant, Terentianum illud nobis obiectare,

De veritatis modo, & nimia libertatis damnis.

Veritas odium parit.

Habet habet mi homo ſuum veritas modum. *Quo modo peſſimis Imperatoribus ſine fine dominationem, ita quamuis egregiis modum libertatis placere* teſtatur noſter Hiſtoricus.

Tac. lib. 4. Hiſt.

Nempe eatenus veritatem colas velim, vt contumaciam nimiámque libertatem, quam nonnullis exitioſiſſimam fuiſſe compertum eſt, ſimul vitare memineris. Annon vatem egiſſe viſus eſt Ariſtoteles, cùm Calliſthenem

Digitized by Google

nem diſcipulum, quem ob nimiam dicendi libertatem ab Alexandro exitio datum legimus, Homerico hoc verſu admonuit,

Ὦ κομορος δήμοι τέκνες ἔπαι ῦ ἀγόρευσις
Talia nate loquens haud multo tempore viues?

Illi qui Senecam variis criminationibus adorti ſunt, nónne (vt refert Cornel.) *obiiciebant eum oblectamentis Principis palàm iniquum, detrectare vim eius equos regentis, illudere voces quoties caneret?* Tac. lib. 14. an. Certè ipſemet *nec ſibi promptum in adulationes ingenium, idque nulli magis gnarum, quàm Neroni, qui ſæpius libertatem Senecæ, quàm ſeruitium expertus eſſet*, Tac.lib. 15. Siluano Tribuno prætoriæ cohortis reſpondiſſe traditur. Quem tandem exitum habuerit vir omnium ſæculorum memoria digniſſimus, non ignoras. Thraſeas Pætus cur *porrectis vtriuſque brachij venis, cruorem effudit?* Tac.lib. 16. Nimirum vir conſtantiſſimus, ac vel ipſius Neronis elogio celebratus, hoc ſibi diſcrimen peperit, quod cùm in Senatu de Agrippina referretur, Senatu cæterorum adulationes pertæſus egreſſus eſt; & *cùm Deûm honores Poppeæ decernerētur, ſponte abſens funeri non interfuit*, & quòd (ſummatim dicam) cuncta quę diceret facerétque Stoicæ ſectæ libertatem præſeferrent. Vtinam vir grauiſſimus prudentiæ, quàm obſtinatæ ſeueritatis atque inuicti aduersùs gratiam animi documentum dare maluiſſet. Denique Præxaſpes ille, qui Cambyſen Regem nimis Senec. de Clem. deditum vino monuit, vt parciùs biberet, turpem rem eſſe dicens ebrietatem in Rege, quem oculi omnium aurêſque ſequerentur, quemnam fructum cepit ex intempeſtiua illa obiurgatione? Quemnam? Filij ſui cor ſagitta transfigi vidit miſer, ac ſibi grauius aliquid metuens, ne ingemuit quidem: quin ſciſcitanti Regi, num ſcopum attigiſſet, exporrecta fronte, nec Apollinem certiùs iaculari potuiſſe reſpondit. Videſis, rogo,

in

Digitized by Google

in quas voragines importuni obiurgatores iſti tandem præcipites ferantur. Is, qui nuper ebrietatem Regis contumaciter reprehẽderat, paulo pòſt ſuimet oblitus, eiuſdem homicidium diuinis prope laudibus extulit.

Tac. lib. 4. Sanè Cornelius Tacitus cùm illius M. Lepidi honorificam mentionem feciſſet, qui *pleraque ab ſæuis adulationibus aliorum in melius flexit, neque tamen temperamenti egebat, cùm æquabili auctoritate & gratia apud Tyberium viguerit,* dubitat *fato & ſorte naſcendi, vt cætera omnia* (ſic enim ille) *ita Principum inclinatio, offenſio in illos, an ſit aliquid in noſtris cõſiliis, liceátque inter abruptam contumaciam & deforme obſequium pergere iter ambitione & periculis vacuum.* *Dubitat Cornelius Tac. an liceat aulico mediũ iter tenere inter adulationem & contumaciã, periculis vacuum.*

Ego, vt naturalem quamdam Principum in Aulicos propenſionem offenſionémve non reiicio, ita etiam eſſe aliquid in noſtris conſiliis affirmare non dubito, licereque nobis nec ad ſiniſtram fœdiſſimæ adulationis, nec ad dexteram immodicæ libertatis flectere, atque ita, iuuante Deo, multa pericula vitare. Quàm egregiè libertatem in admonendo Alexandro temperarit Hepheſtion docet Curtius; hoc enim libertatis ius ita vſurpabat, vt magis à Rege permiſſum, quàm vindicatum ab eo videretur. *Auctor affirmat.*

Sed Principis ingenium inprimis cognoſcendum eſt. Quemadmodum enim præcipuæ nautarum partes ſunt ſydera & ventos noſſe: his cognitis haud valde difficile erit gubernaculum regere, vela expandere & contrahere; nullo item negocio diſcet, quo ſibi loco ac tempore anchoræ iaciundæ ſint tollendæve, quę ſtationes capiendæ, qui ſcopuli vitandi ſint; ita tibi in aulico iſto freto ſedulò elaborandum eſt, vt Principis tui ingenium probè cognoſcas. Eo cognito, cætera ad manum. Porrò, vt ſereno cœlo placidóque mari haud periculoſum eſt nauigare; ſic ſanè ſi mite Principis ingenium ſit *Studeat aulicus Principis ingenium cognoſcere.*

D ac

ac ſuaue, haud periculoſa erit veritas, modò ſit prudens & modeſta: imò tamquam amica fideliſſimáque regnorum cuſtos, benignè ac peramanter excipietur, liberaliſſiméque tractabitur.

Turbidum eſt ingenium Principis? minax? crudele? Nautas imitare, qui exorta tempeſtate cœlóque nubilo tantiſper, mutata velificatione, furentibus ventis obſecundant, dum ſubſidat mare, dúmque ad opportunam aliquam ſtationem nauim appellant. Obdura, inquam, donec ferox illud ingenium miteſcat, diuinóque lumine colluſtretur. Quid tamen ſi numquam mare ſubſidat? quid ſi Princeps veritatem implacabili odio proſequatur? Vis dicam paucis? Vt mari quod nauigabile ac peruium non eſt, haud noſmet committere audemus; ſic profectò nec eiuſmodi animis veritatem committendam puto: nam cùm Principis vtilitatem ita veritas quærat, vt aulici damnum nolit; quem, rogo, fructum ex veritate feres, quæ tumentem ac præferocem Principis animum tantum abeſt vt mitiget, vt eum potiùs magis perturbet atque exagitet? Et quæ demum te miſerabiliter huc illuc iactatum tandem peſſumdet?

Et hæc quidem de adulatione ac veritatis modo aulicis dicta ſunto.

Princeps admonetur, vt omni adulatione exploſa optimos Cōſiliarios adhibeat.

Cæterùm Christiane Princeps cùm veriſſimum ſit omnia *regna, ciuitates, nationes, vſque eò proſperum imperium habuiſſe, dum apud eas vera conſilia valuerūt* (vtor verbis Salluſtij) *vbicumque gratia, timor, voluptas ea corrupere poſt paulo imminutas opes, deinde ademptum imperium, poſtremò ſeruitutem impoſitam eſſe*; operæpretium puto, vt ad gubernandam fortunam tuam non adulatoribus, non tuo tantùm ingenio, ſed magnis optimíſque conſiliariis vtare. Sanè vt bonus princeps tyrannidem hoſtiliter odit, ſic profectò & adulationem, hoc eſt, tyrannorum familiariſſimam

Salluſt. ad Cæſ.

Ariſtot. lib. 3. polit. riſſimam, quippe *qui* (vt ait Ariſtoteles) *lætitia afficiuntur cùm vident ſibi aliquos aſſentari, quorúmque peculiare eſt nullo mortali delectari, qui grauis ſit & liber, talē enim ſe ſolum tyrannus eſſe oportere putat.* Non deſunt (ſat ſcio) qui adulatores à Principe (neceſſaria tamen adhibita cautione) audiendos eſſe velint: nam ſalutaria ab eis aliquando conſilia profecta. Ego longè melius opinor, vt ſimulac dulces inſidias deprehenderis, aures tuas Vlixem imitatus obtures, & ocyſſimē nauigium aliorſum impellas. Næ tu ſi importunos fraudulētóſque iſtarum ſyrenum cantus in aures admiſeris, facile conſopieris, conſopitus demergeris, demerſus deuoraberis. *Adulatoribus aures ne præbeas.* (Senecam audi) *Artifices ſunt ad captandum ſuperiores. Par illis etiamſi bene caueris non eris. Mihi crede capieris ſi proditioni ipſe te trades. Habent hoc in ſe naturale blanditiæ, etiam cùm reiiciuntur placent: ſæpe excluſæ, nouiſſimè recipiuntur.* Hæc ille. Neque verò adulatores idcirco audiendos putes, quòd bona quandoque conſilia dederint: nam quis leonibus lacerandum ſemet obiiciat, quòd legerit olim leonem Androdo non obfuiſſe, quin potiùs valde profuiſſe? Sed non modò alienam, verùm tuammet quoque adulationem ô Princeps pertimeſce. *Ne ſis ſapiens apud temetipſum,* monet Salomon; *familiariter enim noſtra aſpicimus* (aiebat Seneca) *& ſemper iudicio fauor officit. Puto multos potuiſſe ad ſapientiam peruenire, niſi putaſſent ſe perueniſſe.* Et idem. *Non eſt quòd nos magis aliena iudices adulatione perire, quàm noſtra. Quis ſibi verum dicere auſus eſt? quis non inter laudantium blandientiúmque poſitus greges, plurimum tamen ſibi ipſe aſſentatus eſt?* Quàm turpiter (vt de aliis taceam) ſibi Pætus apud Cornelium aſſentabatur, qui *ne alienæ ſententiæ indigens videretur in diuerſa ac deteriora tranſibat.*

Senec. quæſt. nat. lib. 4. in præfat.

Prouer. 3.

Senec. de trãquil. animi, cap. 7.

Tac. lib. 15.

At, inquis fortaſſe, habeo domi viros ingenio, do-

 ctrina,

ctrina, rerum vſu ac pietate præſtantes, quorum ſinceræ orationi ſi minus pateant aures meæ amens ſim. Optimo conſilio non minus quàm armis opibúſque imperia ſtare non ignoro. *Pleraque in ſumma fortuna auſpiciis & conſiliis, quàm telis & manibus geri:* iampridem mihi perſuaſum eſt. Tac. lib. 13.

Non ſtatim Conſiliariis bonitatem ſimulantibus, habenda eſt fides.

Laudo equidem, quòd adhibere ſoleas in conſilium viros & ſpectatæ doctrinæ & probitatis: *nam ſuadere Principi quod oportet multi laboris.* Tac. lib. 1. hiſt. *Quis præterea in cœno* (dicam cum Ambroſio) *fontem requirat? quis è turbida aqua potum petat? quis vtilem cauſſæ alienæ iudicet, quem videt inutilem ſuæ?* S. Amb. lib. 1. off. cap. 12.

Sed & illos homines eſſe memento, qui nimirum & fallere, & falli poſſunt.

O vita fallax abditos ſenſus geris. Seneca in Hyppol.

Vtinam tam facile eſſet præſtare (inquit Lactantius) *quàm eſt ſimulare bonitatem.* Lactan. lib. de vero cultu cap. 6. Et ſerpens olim *diuinorum myſteriorum præco* viſus eſt Euæ, & tamẽ *diuinæ imaginis prædo* dicitur à Tertulliano, adu. Valent. Quot ſinus (bone Deus!) quot latebræ, quot ambages atque receſſus in animis hominum ſunt? Quot ſunt homines fraudolẽti ac verſipelles, qui ſua phalerata oratione, picturatam pecuniam vndique characteres habentẽ (qualis eſt Florentina) egregiè imitantes, ſimplicibus viris fucum facere geſtiunt? Quot ſunt, qui ne videantur cum pueris agere, atque vt ſua mendacia vendibiliora faciant ſeſe pecuniæ temere ac ruditer cuſæ, ſed tamen optimæ (hanc tu Hiſpanam dixeris) comparare non verentur? Quot è cœlo delapſos homines putamus, qui tamen in cœno libidinum volutantur? Quot ſunt, qui ex aureo Babylonis calice potantes, per ementitam pietatem ſacras litteras ad ſuam libidinẽ detorquent, ac ſuis turbulentis opinionibus in Euangelicam regnandi normam debacchantur? Quot

ſunt

Digitized by Google

ſunt qui præſtigiatorum inſtar, aut certè ſepiarum, tenebras(cùm deprehendi timent)inter vomentium, atque ita piſcatorum auidas manus eludentium, habent miram in excogitandis, inſtruendis, occultandíſque erroribus felicitatē. Nempe rarò homo homini Deus; ſæpe homo homini lupus; ſæpius homo homini hamus. Eſt quidē lupus trux beſtia, verùm ſi te eminus cōſpiciat, aliquando in fugam vertitur, fuſte cominus cōtunditur, ſpiculóve tranſuerberatur. At quis eſt tam lynceus, qui hamū eſca tectum cognoſcat, caueátque? quis, inquam, tam prudens cautúſque, qui hominis inſidias dulci ſermone obuolutas ſubterfugiat? Scis, opinor, quid ſibi
Pſal. 90. velit *Dæmonium illud meridianum*, à quo Dauid Propheta cupit liberari. Scis & quinam ſint *lupi ouina pelle tecti*.

Cornelij tui annales lege, ac Seianum ſceleratiſſimum hominem reperies pro optimo fideliſſimóque
Tac. lib. 4. an. habitum à Tyberio. *Et quāquam exitioſa ſuaderet*(hęc ille) *vt non ſui anxius cum fide audiebatur*. Sed & auorū noſtrorū memoria, quàm egregiè Volſæus ambitionis & inuidiæ ſtimulis concitatus Henrico VIII. Angliæ Regi ſpecie religionis ac regiæ ſalutis impoſuerit, recentiores Hiſtorici commemorant. Vide hinc quantum poſſit cæcus atque immanis perditi hominis furor ſub ouina pelle deliteſcentis.

Hæc ſanè cùm ita ſint, diligenter ſancti Ioannis admonitu probandi ſunt ſpiritus, nec facile humano ingenio credendum eſt. Ab homine homini quotidia-
Ep. 103. num periculum, (ait Seneca) aduersùs hoc te expedi, hoc intentis oculis intuere. Nullum enim malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempeſtas minatur antequam ſurgat. Crepant ædificia antequam corruant; prænunciat fumus incendiū. Subita ex homine pernicies, & eo diligentiùs tegitur, quo

Digitized by Google

propius accedit. Licèt igitur aulici iſti tui, ex quibus totus pendes, ardua quæque ingenio acutiſſimo conſequantur, omníque ſint doctrinarũm genere exculti: licèt vſu, efficaciſſimo nimirum rerum omnium magiſtro, valeant; licèt demum probitatis fama celeberrimi ſint; memineris tamen adulationem comitem adhærere magnæ fortunæ, malúmque perpetuum regum eſſe. Memineris aulicorum pleroſque ſub amicitiæ nomine latitãtium non cum Principibus, ſed cum fortuna Principum loqui. *Etiam ego ac tu ſimpliciſſimè inter nos hodie loquimur* (aiebat Galba Piſonem filium alloquens) *cæteri libentius cum fortuna noſtra, quàm nobiſcum*. Hic eſt mos aulicorum ô Princeps. Nimirum aula hominibus plena eſt, veris amicis vacua. In ea verè diceret Socrates, ὦ φίλοι ὐδεὶς φίλος, ô *amici nemo amicus. Alius quippe adulatione clam vtetur parcè, alius ex aperto palàm ruſticitate ſimulata, quaſi ſimplicitas illa non ars ſit.* Tac lib. 1. Hiſt. Seneca lib. 4. nat. qu. cap. 1.

Explorandi ſunt Conſiliarij. Porrò in tanta amicorũ inopia, in tanta adulatorum frequẽtia, quî tandem iſtas inſidias effugies, quibus innumeri Principes circumuenti ſeſe ac ſuos demum populos perdidere? qua ratione cæca iſta nocte circumfuſus, pericula euades? Magno ſanè iudicio, magna prudentia opus.

Plurimum referre arbitrantur viri docti, vt noſſe ſtudeas aulicorum tuorum ingenia.

Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos. Martial.

Hæc potiſſima ars Principum, difficilis illa quidem, ſed quæ cognita fructus vberrimos ac ſuauiſſimos parit. Nempe nouiſſe, viciſſe eſt. Quàm probè eam callere videretur Alexãder, ex eo patet, quòd Crateris atque Hepheſtionis amorem ſic diſtinxit, Κράτερος μὲν γὰρ φιλοβασιλεύς, Ἡφαιστίων δὲ φιλαλέξανδρος. Haud profectò mẽtiar ſi ex huius præſtantiſſimæ artis imperitia tot tantáque

ſcelera

Digitized by Google

Tac. lib. 12. an.

ſcelera à Nerone (vt Claudium, *cui non iudicium, non odium erat, niſi indita & iuſſa*) patrata dixerim. Vnum teſtimonium, ne ſim longior, adducã. *Suſpectabat* [is] *maximè Cornelium Syllam, ſocors ingenium eius in contrarium trahens, callidum & ſimulatorem interpretando. Atqui maximè deſpecta & nullius auſi capax natura Syllæ à crimine abhorrebat, perinde tamen quaſi conuictus eſſet, cedere Patria, & Maſſilienſium mœnibus coerceri iubetur*, ac demum *ante rumorem & metum interficitur cùm epulandi cauſſa diſcumberet.*

Tac. lib. 13. an.

Tac. lib. 14.

Itaque quemadmodũ bonus trapezita non fuco & lenocinio, non captioſa ſimplicitate capitur; ſed ſuæ artis præcepta ſecutus, & inſtrumentis accõmodatis vtens, legitimũ purũmque aurũ ab adulterino magno ſtudio ſecernit; ſic Principi à natura bene informato (neque enim cum aurea pecude nobis eſt ſermo) ſinceritas ab omni fuco quamdiligentiſſime ſecernenda eſt.

Quomodo exploṙandi ſint declaratur.

Non ab re erit (docent quidam) de aulico interdum periculum facere; feceris autem ſi prouinciam ei aliquã dederis. Porrò, vt lapis lydius aurum, ſic magiſtratus virum probat. *Multos in prouinciis contra quàm ſpes aut metus de illis fuerit* (aiebat olim Tyberius) *egiſſe excitari quoſdam ad meliora magnitudine rerum, hebeſcere alios.*

Tac. lib. 3.

Plutar. de diſcrimine adulat. & amici.

Feceris quoque è Plutarchi ſententia de aulico periculum (quamquam ex hoc fonte Chriſtiano Principi cautè ſobriéque potandum eſt) ſi quæ olim faſtidiebas, eadem nunc tibi placere dixeris. Profectò ſi adulator erit, ſiue bona, ſiue mala ea ſint, quæ probas reiicíſve, ingenium tuum ſequetur, non ſecus ac vmbra corpus: ſin autẽ vir probus erit, modeſtis ſalubribúſque cohortationibus, ne latum quidem vnguem à recto itinere te tranſuerſum agi patietur.

Cùm humana præcepta incerta ſint,

Quia tamen (neque enim diſſimulo) acerrima ſæpe ingenia hebeſcunt, & clariſſimi interdum Principes at-

que

Digitized by Google

à Deo ſapientia poſtulanda eſt. que adeò illi ipſi, qui ſuum ingenium in Philoſophorũ officina acuerant, decepta ſunt: vota præpotenti Deo, qui eſt *Pater luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*, nuncupanda ſunt, vt tenebras diſiiciat, curſúmque tuum dirigat, ne vſpiam offendas. Tac. ep. cap. 1.

Nam, vt verè fatear, quamquam magiſtratu viri probantur egregiè, tamen & hoc experimentum ob humani ingenij inconſtantiam, fallax aliquando & incertum. Eſſe aliquos, qui integrè ſanctéque prouinciis adminiſtratis, omnem demum pudorem exuant, L. Vitellius & T. Iunius (vt de aliis taceam) patefecere. Ille *regendis prouinciis priſca virtute egit, vnde regreſſus, & formidine C. Cæſaris, familiaritate Claudij, turpe in ſeruitium mutatus, exemplar apud poſteros adulatorij dedecoris habetur, ceſſeruntque prima poſtremis, & bona iuuentæ ſenectus flagitioſa obliterauit*; hic *proconſulatu Galliam Narbonenſem ſeuerè integréque rexit. Mox Galbæ amicitia in abruptum tractus, audax, callidus, promptus, & prout animum intendiſſet, prauus aut induſtrius eadem vi*. I nunc & ipſiſmet ſpectatæ probitatis viris fidito. Tac. lib. 5. Tac. lib. 1. hiſt.

Porrò altera illa ratio explorandi humani ingenij ex Plutarcho deſumpta quantis difficultatibus implicatur? quàm ſuſpecta eſſe debet Chriſtiano, qui mendacium quantumuis leuiſſimum Deo diſplicere non ignorat, & cui mala facere vt veniant bona interdicitur?

Quapropter cùm iſta præcepta haud ſemper ſcopũ attingant, & ſacroſanctam religioné noſtram nonnihil interdum lædant; ad DIVINAM SAPIENTIAM iure optimo confugiendum eſt. Nihil eſt profectò quod æquè impurus adulator oderit, atque acre Principis iudicium ac ſapientiam; quamobrem quemadmodum meretrices amatoribus ſuis bona omnia præter bonam mentem à Deo precari ſolent, ita ſanè & hi ſuis Principibus. Sapientiam igitur quæ *tecum ſit, & tecum laboret*, Pythag. apud Stobæũ.

Salo

Digitized by Google

Salomonem imitatus à Deo, magno ſtudio poſtulato; hac enim duce haud multum difficile erit vera à falſis dignoſcere.

Cæterùm quia *in maleuolam animam* (vt ſacris litteris traditur) *non introibit ſapiẽtia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*; pro certo habeto, mi Princeps, verę ſapiẽtię nullo vmquam tempore te participẽ fore, niſi animum tuum omni primùm culpæ labe pro tua virili perpurgaueris, ac deinde diuinam legem ritè colueris. Ecce tibi diuinum oraculum. *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos. Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Dixerat ſuperiùs (ſi rectè meminiſti) diuinus Vates: *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi. Dixi, confitebor aduerſùm me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.*

Princeps vt ſapientiæ cõpos fiat caueat ab omni ſcelere, diuinámque legem ritè colat.

Pſal. 31.

Cumprimum culpam faſſus ſum (inquit ille) animúmque meum expiaui, è veſtigio diuinam indulgentiam ac opem ſenſi. Vidéſne ô Princeps tibi ante animum expiandum, quàm ſapientiæ lumine colluſtreris? Iam ſi equum effrænatum, qui ſeſſoris manu, & calcaribus contumaciter ſpretis, tranſuerſus agi mauult, quàm in gyrum ac rectá viam duci, & qui ipſum ſeſſorem, à quo alitur, deiicere conatur, haudquaquam imitatus fueris, ſi frænum potiùs momorderis, diuinóque Numini, non autem Machiauello morem geſſeris, ſi tuos affectus (dicam vno verbo) vt Chriſtianum piúmque Principem decet, compoſueris: INTELLECTVM *tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris.* Ego te (inquit Deus) cùm ad biuium aliquod perueneris, ancépſque erit iter tuum, docebo qua tibi eundum ſit; ego te erudiam, mentémque tuam illuſtrabo. Quid? Ego *firmabo ſuper te oculos meos*, ne vſpiam erres, néve ceſpites.

Digitized by Google

Qui falli pertimeſcas ô Princeps, ſi tibi non Mercurius aliquis Hodius & Hegemonius, ſed ille ipſe Deus, qui à Zacharia ſeptem oculos habere dicitur, & quem his verbis Dauid precabatur aliquando, *Notam fac mihi viam, in qua ambulem*; rectum iter commonſtrauerit, ac ſuum in te obtutum defixerit? Pſ. 142.

Igitur faceſſant longiùs ab animo tuo vitia quæque, ſed præſertim φιλαυτία, quę ſanè cùm animi, tum fortunarum omnium eſt ingens clades, eóque exitioſior cenſenda eſt, quo ſui ſenſum adimit, ac omne remedium reiicit. Nihil tibi ſit charius, quàm lex diuina. hęc nimirũ eſt illa coniunx, de qua ſic cecinerat Dauid, *Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate*; Pſal. 44. ſic enim hæc verba Paraphraſtes Chaldæus interpretatus eſt: *Stabit liber legis in latere dexteræ tuæ, & ſcribetur obrizo ophritico.* Hæc ſit conſiliorum omnium (vt ait Cyprianus) gubernaculum. Inter cæteros ritus inaugurandi Hebræorum reges dari ſolitum. Regi in manum Deuteronomium, vt lege diuina ſe teneri intelligeret, eiúſque præcipuus obſeruator, cuſtos & vindex foret. Porrò ſi quid tibi ſuadetur, quod vel tantillum ab honeſtate rectóque Euangelicæ diſciplinæ tramite deflexerit, id ne in aurem quidem admittas. Neque enim amicus ille dicendus eſt, qui te ab honeſtate diuináque amicitia ſeiungat, nec humanæ leges iuſtæ ſine Euangelio, quin terrenum regnum, quod cœleſti non fulciatur, non regnum, ſed publicum latrocinium iure nominatur.

Romanus Pontifex diuinæ legis eſt germanus interpres.

Sanè diuinæ legis germanum interpretẽ non quemlibet è triuio turbulentum, atque ſacras litteras, quaſi cothurnum verſatilem ad Principum libidines accommodantem, eſſe puta, ſed ſummum ac Romanum Pontificem, cui *Euangelium Petrus & Paulus* (vtar enim verbis Tertulliani) *ſanguine quoque ſuo ſignatum reliquerunt.* Tertul. aduerſus Marcio. lib. 4.

Eos

Eos qui antiquam regiámque viam deſerentes per nouos atque inexplicabiles turbidarum opinionum interpretationúmque anfractus, præcipites aguntur, diuino Numini inimicos eſſe pro certo habeto.

Princeps bonorum virorum ſancta ſalubriáque conſilia, licèt interdum aſpera, ne reſpuat.

Si amarum tibi quippiam optimus Conſiliarius aliquando propinet, ſalubre tamen ac diuinæ legi ſacrorúmque Pontificum ſanctionibus conſentaneum, ne quæſo illud reſpuas. Eorum tibi exempla proponito, qui
Tac lib. 17. *cùm ſpecioſiora ſuadentibus acceſſiſſent*, dulci adulationis veneno epoto, periere, pereúntque in dies funditus. Dauidis conſilium ſequere, qui mauult à iuſtis caſtigari, quàm à ſceleratis vnguento ſimulatæ adulationis deli-
Pſ. 140. niri. *Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Admoneri bonus*
Senec. lib. 3. de Ira. *gaudet* (ait Seneca.) *Peſſimus quiſque correptorem aſperrimè patitur.* Porrò loco peccatoris in hoc Pſalmo habes Hebraicè ראש *roſch*, quæ ſanè vox & caput ſignificat & virus.
Gil. Geneb. in Comm. in hunc Pſal.
Vide quàm virulenta ſit adulatio, qua permulceris, qua caput, hoc eſt, ſummus rerum omnium Dominus vocitaris. Quamobrem, vt omni conatu fugis illa conuiuia, in quibus virus vel minima ſubeſt ſuſpicio, ita adulationis virus acerbiſſimum fugito, nihílque iis Principibus ſtultius eſſe putato, qui ad venenum bláditiarum hiantes, ad antidotum optimi ſapientiſſimíque conſilij nauſeare ſolent.

Princeps virorum piiſſimorũ libros, qui de ciuili diſciplina agunt, libenter lectitet, tametſi interdũ aſperos.

Ad hæc quemadmodum tyrannicos Machiauelliſtarũ libros radicitus extirpari velim, ita valde tibi ſuadeo, vt virorum doctrina pietatéque pręſtantium libros libenter lectites, manúque verſes diurna ac nocturna. Hos nimirum egregios conſiliarios eſſe ſentiebat Alphonſus Rex Siciliæ, cùm optimos conſiliarios mortuos eſſe dicebat. Sanè fuerunt olim nonnulli, qui cùm pati non poſſent homines, qui ſibi illicita exprobrarent

 carbi

(arbitrabantur enim ſibi poteſtatem auferri) libros tamen conſulere non grauabantur. Demetrius Phalereus Ptolemæum Regem adhortari ſolebat, vt pararet ſibi libros de regno déque militari imperio tractantes, eóſque diligenter euolueret: propterea quòd ea, de quibus amici non audent admonere Reges, in libris ſcripta habeantur. Doleo equidem ac vehementer doleo à multis edi libros non, vt Principes erudiant, ſed vt eorũ gratiam turpiter venentur. Num id ſcriptorũ dumtaxat vitio? an & Principum? Vtrorumque profectò. Nam cùm his temporibus dicendi libertas ita dominationi ſit inuiſa, vt culicis aculeus, tamquam leoninus morſus formidetur; haud ſanè mirum eſt, ſi adulatoribus perſtrepentibus, bona ingenia ſileant, quibus annalium à Cremutio olim conſcriptorum incendium etiamnum oculis obuerſatur. Dicam quod ſentio. Licentiam ac dicacitatem in ſacroſanctam Religionẽ bonóſque mores debacchantem ſemper odi: quin ſapienti Principi auctor ſim, vt in eam ſeuerè animaduertat; quid enim Reip. proſunt importunæ iſtæ veſpæ? Bene ſit illis, qui eas ferro & igni vndique perſequuntur. Ingenua tamen libertas æquo animo ferenda eſt, imò, ſi me audis, alacriter tamquam fideliſſima regnorũ cuſtodia recipienda; quid enim bonus Princeps virtutem pertimeſcat, quæ ſuis finibus contenta, tantum abeſt, vt ei obfutura ſit, vt mirum in modum ſit profutura? At non eſt priuati hominis Principem emendare? Quid? Non eſt priuati hominis Principi ægrotanti medicinam adhibere? Ergóne Princeps alius accerſendus eſt, qui tangat venas, qui pharmacum porrigat? O intempeſtiuam & præpoſteram ambitionem! At iſta ſcriptorum libertas non caret amaritie, non caret aculeo. Hinc illæ lachrymæ. *Eſt & hæc peruerſitas hominum* (liceat mihi Tertulliani Tertul. in Scorpiaco.

hæc

hæc verba immiſcere) *ſalutaria excutere, exitioſa ſuſcipere, periculoſa quæque medicamina vitare, mori denique citius, quàm curari deſiderare. Nam & medicinæ præſidium plures qui refugiunt, plures ſtulti, plures timidi & malè verecundi. Et eſt planè quædam ſæuitia medicinæ de ſcalpello, déque cauterio, de ſinapis incendio: non tamen ſecari, inuri, & extendi morderíque idcirco malum, quia dolores vtiles affert. Nec quia tantummodo contriſtat recuſabitur, ſed quia neceſſariò contriſtat adhibebitur. Horrorem operis fructus excuſat. Vlulans denique ille, & gemens, & mugiens inter manus medici, poſtmodum eaſdem mercede cumulabit, & artifices optimas prædicabit, & ſæuas iam negabit.* Hæc ille. Scriptorum libertas pungit interdum, fateor: ſed *horrorem operis fructus excuſat.* Patere patere ô Princeps tantiſper ſalutarē hunc aculeum, dum immodici corruptiui ſãguinis vis mittatur, ac mox recuperata ſanitate, cognitóque veritatis bono, artificem illum optimũ prædicabis, cuius nunc admonitiones auerſaris.

Quàm acre cum vitiis bellum ſuſcepit Salomon? quàm fortiter ſuos affectus compeſcuit? quàm ſanctè diuinam legem coluit antequam ſapientiæ munere donaretur?

Certè ſi Chriſtiani Principes humanam iſtam Machiauellicorum nebulonũ cœlum terræ ſubiicere conãtium verſutiam (quæ quidem licèt prima fronte amœna via, floribus veſtita, arboribúſque conſita videatur, in atheiſmũ tamen atque ad interitum ſempiternum ducit) tamquam cœnoſum aliquod ac præruptum iter declinarent; ſi omnes impios libellos, qui de dominationis arcanis agunt, commodorúmque ſpecie blandiuntur non ſecus ac profundam voraginem vitarent, ſi diuino ſe Numini regendos traderent, eiúſque ſapientiſſimis conſiliis acquieſcerent; illorum profectò mentes hominum recluſas aſpicerent, quæ ſexcẽtis vectibus clau-

 duntur

duntur, atque haud tam ſæpe ab aulicorum verſatili ſubdoloſóque ingenio ſibi ficū fieri quererentur. Euerſa dirutáque adulatione, facillimum iam erit, opinor, SPEM VANAM ſuo quippe propugnaculo deſtitutam ac nudatam obtruncare.

Nolite confidere in Principibus.

Principibus terrenis fidẽdum non eſt.

ET hæc quidem non aliquis è plebe clandeſtinus conuiciator ex odio potentiæ muſſitauit, ſed Dauid, hoc eſt, maximus Princeps ſtudio veritatis palàm pronunciauit, poſteríſque tradidit. Quàm vellem hæc verba diligenter expenderent ij, qui Deo Opt. Max. ſpreto, terrenos Principes perinde atque Numina quædam è cœlo delapſa venerantur! qui æquè atque canes ex præſenti florentíque dominorum ſtatu audaciores rabidioréſque facti, diuinis humaníſque omnibus, quæ vel minimum herile commodum lædere videantur, oblatrare non deſinunt; Principes ac Reges à ſacrorum Antiſtitum monitis abalienare non verentur; Pontificia decreta tyrannicis legibus nefariè ſubiicienda docent, relictáque bonarum interpretationum regia ſemita, miſeros homines errorum caligine merſos in apertas voragines præcipitant! Quàm vellem, inquam, Dauidem audirent; forte enim reſipiſcerent, deſinerentque per auia prærupt áque ſuarum opinionum vagari.

At quidni fidam Principibus diuine Vates?

Cauſſa propter quas nõ eſt fidendum Principibus. 1.

Quia (finge ſic eum reſpondere) valde impium eſt humanam opem diuinæ præponere, relictóque bonorum omnium fonte, limoſas terrenarum virium lacunas conſectari, quæ nauſeam ciere, non autem concèptam viſceribus ſitim extinguere valent. Quiſnam audiat ſine ſtomacho Seianum gloriantem *ſe ita inſueuiſſe,*

Tac. lib. 4. *uiſſe, vt ſpes votáque ſua non prius ad Deos, quàm ad Principum aures conferret?*

Præterea an ignoras, aulice, hominibus, qui in excelſo loco ſunt, ſolemne eſſe fortunæ inferiores faſtidire deſpectuíque habere? Fert nimirum ſecum Principatus inferiorum contemptum; fert truculentiam quamdam Salluſt. in Iugur. immanéque ſupercilium. *Contemptor animus & ſuperbia commune nobilitatis malum*, ait Salluſtius. Porrò hinc Principum aſſiduæ ac præcipites iniuriæ: beneficia Seneca lib. 2. de benef. vel adeò lenta*(nam pleriſque hoc vitium eſt ambitione praua differendi promiſſa, ne minor ſit rogantium turba)* vt dum expectantur, *in odium tranſeant*, vel ita aſperè data, vt ea accepiſſe pœniteat. Túne igitur in eiuſmodi hominibus ſpem tuam ſitam habeas, à quibus talia beneficia proficiſcuntur? 4.

Accedit huc, quòd his noſtris temporibus, in quibus calliditas prudētiæ amiculo tecta, in rebus humanis dominatur: terreni Principes, qui ſibi plus cæteris ſapere vidētur, cùm Seiani & Macronis infamiam habeant adhuc ante oculos; (ille parum abſuit, quin Imperatorem ſuum, à quo innumeris opibus & honoribus cumulatus fuerat, vita imperióque expoliaret: hic Tyberium, à quo magnis item honoribus auctus fuerat, multæ veſtis iniectu opprimi iuſſit;) à beneficiis & exiguis & magnis abſtinent omnino; illa ſiquidem inexplebiles aulicorum cupiditates (ex quibus innumera Tac. lib. 4. ſæpe mala extiterunt) magis irritant, *hæc pro gratia odium reddunt*; verba tantùm dant, ac præterea nihil; ingentibúſque promiſſis tamquam vnco ſpes aulicorum ad teſtamenti tabulas trahunt. *Satis tibi eſt interim* (optimum Philoſophum audito) *vt oſtio propius aſſideas, vt* Senec. lib. 6. de benef. *gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps multa ſunt* Idē ibid. *oſtia, quæ receptos quotidie excludunt. Eſt ſcilicet proprium ſuperbiæ* 5.

Digitized by Google

biæ magno æſtimare introitum, ac tactum ſui liminis pro honore dare. Ab huiuſmodi hominum genere beneficia expectare, quid aliud eſt, quàm lucem in cimmeriis tenebris ſomniare? quid aliud, quàm lento morbo contabeſcere? quid aliud, quàm diu torqueri, ac membratim concidi? ſpem verò in Principe ſic affecto ſitam, quid aliud eſſe dicam, quàm diuturnum immanéque ſupplicium?

Vita ſumma breuis ſpem nos vetat inchoare Horat. carm. 1.
Longam, mi aulice.
Ecaſtor nobis periculum & familiæ portenditur
Dum eius expectamus mortem ne nos moriamur fame,
diceret Plautinus ille. Plaut. in Aſinar.

Nec in Principibus ſpectata liberalitatis ſpes collocanda eſt.

At (inquies fortaſſe:) In beneficio liberalíque Principe, cuius multis exemplis virtus probata ſit, quin ſpes collocetur, cur prohiberi poſſit non video.

Hem amice, ne, quæſo, hominem tam ſtabilem facias, quem ſepties, hoc eſt ſępiſſime in die cadere tametſi iuſtum docent ſacræ litteræ. An vmquam legiſti *Principum voluntates, vt vehementes, ſic mobiles, ſæpe ſibi ipſas aduerſas?* Salluſt. in Iugur. Quot nos vidimus facultatum ſuarum reſtrictiores factos, atque, vt ita dicam, ex adamantinis vitreos, quorum antea ingenium ad munificentiam propendere videbatur? Aptè profectò mortalium quorumdam Principum ingenium ſubitis offenſis, vel intempeſtiuis blanditiis mutabile cum aëre confertur, qui facile huc illuc agitatur, ac modò Solis, Lunæ, cæterorúmque ſyderum fulgore collucet, modò nubibus atráque caligine obducitur excæcatúrque: modò ad legendos flores choræáſque ducendas, puellas in agros inuitat; modò eaſdē tonitru fulguréque terret, atque in abditos quoſque receſſus abſtrudit; modò ſegetum iuuat incrementum, modò immodicis pluuiis præcipitíque grandine diram

diram eiſdem inuehit calamitatem.

Aptè quoque iſtiuſmodi Principum ingenium inſtar maris eſſe dicas, quod homines ad ſeſe blandè pellectos, ad ſaxa demum allidit, ſæpéque demergit. Quis non terrenis iſtis Principibus, qui conſtantiſſimè inconſtantiā colunt, ad amuſſim Plautina illa reſpōdere dicat,

Qui homo ſeſe miſerum & mendicum volet,
Neptuno credat ſeſe atque ætatem ſuam:
Nam ſi quis quid cum eo rei commiſcuit,
Ad hoc exemplum perdit ornatum, domum.

Tac. lib. 3. an. Certè aulicorum plerique *ſpeciem magis* (liceat mihi Cornelij verbis vti) *in amicitia Principum, quàm vim retinuere.* Salluſtius Criſpus (vt alios innumeros omittam, quorū meminerunt Hiſtorici,) Criſpi Salluſtij rerum Romanarū auctoris florentiſſimi Nepos, diu Tyberio charus, ac *præcipuus, cui ſecreta Imperatorum inniterentur; ætate prouecta ſpeciem magis in amicitia Principis, quàm vim tenuit. idque Mæcenati acciderat; fato potentiæ raro ſempiternæ, an ſatias capit, aut illos cùm omnia tribuerunt, aut hos, cùm iam nihil reliquum eſt quod cupiant?* Seianus ipſius Fortunæ filius, à ſuo Principe beneficiis innumeris affectus, opibúſque ingentibus locupletatus, nónne eiuſdem fortunæ ludibriū, atque (vt ſic loquar) pila luſoria factus, noſtris aulicis, ne nimium humanis ingeniis fidant, clariſſimum monumentum eſſe poteſt?

Atqui ille fuit Seianus, qui Vrinatores, gemmas ex imo mari educentes, egregiè imitatus, alieni commodi fuco ſuas ita texit cupiditates, vt perſuaderet omnibus Tac. lib. 4. an. *fulgorem honorum à ſe numquam prælatum, excubias ac labores vt vnum ex militibus pro incolumitate Imperatoris malle*; ille Seianus, qui Tyberium variis artibus deuinxit adeò, vt *obſcurum aduerſus alios, ſibi vni incautum intectúmque efficeret.* Ille demum Seianus, cui Tyberius tam facilis ac

 pronus

pronus fuit, vt *ſocium laborum non modò in ſermonibus,ſed apud Patres & populum celebraret, coliqúe per theatra & fora effigies eius inter principia legionum ſineret. Honoribus ſummis functus es?* (finge ſic tecum Senecam loqui) *Numquid aut tam magnis, aut tam inſperatis, aut tam vniuerſis, quàm Seianus? Quo die illum Senatus deduxerat, populus in fruſta diuiſit; in quem quicquid congeri poterat, Dij hominéſque contulerant, ex eo nihil ſuperfuit quod carnifex traheret.* Senec. lib. de trãquil. animi.

Quid igitur mirum, ſi miſer aliquis aulicus, qui mare iſtud, à quo perhumaniter exceptus fuerat, iratum tuménſque expertus, ad ſe tandem redeat, atque è fluctibus emergens pergat cum Plautino illo,

Ædepol libertas lepida es, quæ numquam pedem
Voluiſti in nauem cum Hercule vnà imponere.

Omnino ſic habeto. Fortuna cùm beneficiis ſplendet, haud ſemper ſplendet vt te clarum faciat, ſed vt fallaci ſplendore oculos tibi prꝟſtringat, vt demum obcæcatus præceps ruas.

Fortuna vitrea eſt, tunc cùm ſplendet frangitur, Publius.

aiebat neſcio quis. Vt Soles in hyeme ſolito calidiores, futuram nobis pluuiam & prænunciant & parant, ſic ſanè felicitas aulico ruinam.

Annon legiſti Philippum Macedonum Regem nimias fortunæ blanditias ſuſpectas aliquando habuiſſe, ac proinde porrectis in cœlum manibus exclamaſſe, O FORTVNA PRO TOT TANTISQVE BONIS MISCE ALIQVID ADVERSI? & Theramenes vnus ex triginta Tyrannis (ſi bene memini) cùm domus, in qua multi accumbebant, ruinam ſolus euaſiſſet, ac propterea fortunatus à multis prædicaretur, an non exclamaſſe fertur magna voce, O FORTVNA CVI ME OCCASIONI RESERVAS? Sentiebat ſine dubio, ſe ab ea haud eſſe ſeruatum, ſed ad duriorem caſum reſer- Cæſ lib. 5. Ciu.

uatum

Digitized by Google

uatum; & quidem diuinauit: nam paulo pòſt miſerè
Seneca lib. de conſol. ad Helu. trucidatus fuit. Sapienter profectò Seneca, *Numquam ego* (inquit) *fortunæ credidi, etiamſi videretur pacem agere: omnia illa, quæ in me indulgentiſſimè conferebat, pecuniam, honores, gloriam, eo loco poſui, vnde poſſet ea ſine motu meo re-*
Seneca ep. 8. *petere.* Et alibi: *Rectum iter, quod ſerò cognoui, & laſſus errando, aliis monſtro. Clamo. Vitate quæcumque vulgo placent, quæ caſus attribuit. Ad omne fortuitum bonum ſuſpicioſi pauidique ſubſiſtite. Et fera & piſcis ſpe aliqua oblectante decipitur. Munera iſta fortunæ putatis? Inſidiæ ſunt. Quiſquis noſtrûm tutam agere vitam volet, quantum plurimum poteſt, iſta viſcata beneficia deuitet, in quibus hoc quoque miſerrimi fallimur, quòd habere nos putamus; habemur. In præcipitia curſus iſte deducit. Huius eminentis vitæ, cadere eſt.* Hæc Romanus ſapiens. Acutum quidem ac ſalſum ſcurræ neſcio cuius dictum in hanc ſententiam circumfertur. Hic cùm feſſus deambulando in Regia Hiſpana, qua non paries, ſed caminus erat, imprudens fortè fortuna periſtromatis incubuiſſet, retrorſum cecidit. Magnus illicò adſtantium riſus obortus eſt. At ille ſurgens ac ſubridens; *Quid,* inquit, *ô viri caſum meum ridetis? Omnibus ferme hoc ipſum contingit, qui palatio incubunt.* Ita eſt. Planè non ſcurræ, ſed ſapientis viri ingenio & ore dignum apophthegma.

Quid? quod ab ipſomet Dauide, ne Principibus quátumuis beneficis nimium fidamus, admonemur? Qui Hebraicè norunt, ſciunt hanc vocem בנדיבים *bindibim,* quam interpretes tranſtulerunt, *In Principibus*, Hebraicè ſonare IN BENEFICIS; hoc enim Principes nomine cenſentur, quòd tales eſſe debeant, non autem ſordidi atque auari. Eadem vox in Pſ. CXVII. *Bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in Principibus.* Eadem quo-
Luc. 22. que vox apud S. Lucam; *Qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur.* Expreſſit Lucas vim Hebraicæ vocis:

Digitized by Google

nam Græcè εὐέργεται. Collige hinc aulice Chriſtiane vanam & plerumque fallacem eſſe eam quoque ſpem, quę in munificis Principibus figitur; quoties enim accidit, vt is, qui dimidium animæ Principis fuerat, ob ſuſpicionem aliquam, & forſitan inani quopiam fundamento nixam, hoſtis eiuſdem habeatur?

Caueat ſibi aulicus. Tu igitur, qui nunc plurimum & apud Principem, & apud cæteros tui ſimiles vales, qui ſecundis ventis nauigas, caue tibi. Clarum tibi manè blanditur? meridies arridet, perpetuámque ſerenitatem pollicetur? Quid veſper allaturus ſit neſcis. Vno ſæpe flatu turbantur omnia. Porrò ſi illorum, qui Principum offenſas acriter ſpeculantur, maleuolentia (quod omen Deus auertat) tamquam turbine in Principis tui inuidiam adducaris (*recentem enim aliorum felicitatem inſita mortalibus natura ægris oculis introſpicere;*) quinam (bone Deus!) tollentur fluctus, quibus procellis ac tẽpeſtatibus agitaberis? Tac. lib. 18. an. quænam excitabitur tragœdia? Certè quo altiori in gradu conſides, eo grauiori lapſu rues, & qui in portum pleniſſimis velis properas, vix aliquam ſtationem nanciſceris, in qua fractam nauim reficere liceat. *Nihil nihil* (Salomonem, hoc eſt diuinum oraculum audito) *ſtabile ſub ſole.* Atqui Principis ingenium laudabas, grauitatem conſtantiámque admirabaris, eius dicta oracula quædam putabas; beneficia prædicabas, eius gratiam tibi ſempiternam pollicebaris. Naturæ potius ordinem, quàm ſententiá eius mutatũ iri, conſtanter atque adeò interdũ iuratus, affirmabas. Eheu quàm ſępe contrarius mortaliũ votis reſpondet euẽtus! Quid iam mireris ſi te à fortuna abiectũ alij fœnũ tectorũ dixerint, *quod priuſquam euellatur, exaruit,* herbámque ſolſtitialem, quæ repètè exoritur, repentè etiam occidit! quid mireris ſi te Ps. 128. Solon aliquis calculis ſupputatoriis eſſe ſimillimum affirmet

Digitized by Google

firmet,qui vt arbitrio ſupputantis ponuntur, interdum valent multa millia, interdum minimum, interdum nihil? Quid mireris ſi alij te *lineæ in aqua impreſſæ comparauerint, arbori hederam ſibi pernicioſiſſimam complectenti, & racemo humi iacenti, ac proinde facile putreſcenti, & dolio pertuſo, & camini fumo, & pedis veſtigio à vento deleto, & lapidi in cœlum iacto*? Quid mireris ſi te alij cucurbitæ illi ſimilem fecerint, quæ cùm in editiſſimam pinum conſcendiſſet, grandiaque poma oſtentans, laſciuiſſet; ingruente hyeme obriguit, cecidit, nimiæque audaciæ pœnas luit? Denique quid mireris ſi te alij cum hedera illa contulerint, quæ cùm in vehementi æſtu lætiſſimã Ionæ Prophetæ vmbram feciſſet, tenui vermiculo corroſa, vna nocte periit exaruítque, quæ vna nocte nata fuerat creuerátque?

Nilus ſermone de ſuperbia.

At forte ſic obieceris. Nihil eſt quod in me maleuolus mordeat. Innocenter hactenus vixi. Neminem dicto factóve vmquam læſi. Vbique innocentia tuta eſt.

Nec innocentes in aula tuti.

Integer vitæ, ſceleriſque purus
Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
Nec venenatis grauida ſagittis
Fuſce pharetra.

Nullius igitur maleuolentia extrudat Principis mei gratia.

O hominem non hoc noſtro, ſed aureo illo ſæculo dignum. *Expectabo ſcilicet* (clamaret Seneca) *vt quicquam maleuolentiæ inuiolatum ſit, cui ſacer nec Rutilius fuit, nec Cato*. Dicam ego rectiùs, cui nec ipſe Chriſtus Dei filius ſacer fuit. Nihil eſt, fateor, quod in te inuidus iure carpat; verumtamen non magis tibi ſecuritatem poſſum promittere, quàm homini temperanti bonam valetudinem, cùm tamen conſtet ex temperantia bona valetudo.

Seneca lib. de beata vita.

 Illa,

Illa, quæſo, imago in mentem veniat, qua Apelles calumniam vltus fuit. *Ille qui fidem calumniæ præbet, pingitur ad dexteram conſidere auribus prælongis inſignis, quales ferè illæ Midæ fuerunt, manum porrigens procul accedenti Calumniæ.* Lucianus de non creden. temere calumniæ. *Circumſtant eum mulierculæ duæ, Ignorãtia, ni fallor, & Suſpicio. Adit aliunde propera Calumnia eximiè compta, vultu ipſo & geſtu corporis efferam rabiem & iram æſtuanti conceptam pectore præſeferens, ſiniſtra facem tenens flammiuomam, & dextra ſecum adoleſcentem capillis prehenſum, manus ad ſuperos tendentem obteſtantémque Deorum immortalium fidem, rapit.* Cætera tu ipſe apud Lucianum legito.

Annon vides innoxium adoleſcentem à Calumnia rapi? Porrò ſi è gratia Principis deturberis, quòd excelles, ac proinde obex iudiceris; qui viam honorum aliis intercludas; quòd ſcelera pati non poſſis (ſic *Aruntius diu Seiano, nunc Macroni, ſemper alicui potentium inuiſus non culpa, ſed vt flagitiorum impatiens;*) quòd vano turbulentóque Principis ingenio aſſentari recuſes; quòd tãquam cenſor aliquis refugiaris; quòd (dicam paucis) *induſtriæ atque innocentiæ tuæ, quaſi malis artibus peſſimi quique infenſi ſint*: haud te quidem abiectum putabis, cùm ab innocentia numquam deſerare; cadat licèt cœlum, & quibuſlibet inſidiis circumueniare, nihil vmquam formidabis; attamen, quia inuidorum artes effugere non potuiſti, nónne ſolum vertas neceſſe eſt? Accipe, quæ de inuidis aulicis Lucianus Samoſatẽſis lepidè conſcripſit. Tac. lib. 5. an. Tac lib. 1. Hiſt.

At hoc genus homines in aulis regiis ſpectare plurimos datur, optimatum fauorem hiſce artibus ambientes, vbi ſcilicet inuidia crebra, & variæ ſuſpiciones, & aſſentandi criminandique occaſio multiplex in promptu eſt. Siquidem ibi quo pluribus plura ſpes oſtentat, eo neceſſe eſt, maiore inuidia, ſæuioribus odiis, æmulatione callidiore certari. Illic videas licet, quàm acres alter in alterum oculos defigat, qua cura obſeruet, veluti ſingulari certa- Lucianus de non creden. temere calumniæ.

mine

Digitized by Google

mine congreſſus, ſi quid vſpiam in alterius corpore forte fortuna nudum, aut malè munitum conſpiciat, quod ferire feliciter poſſit. Ita ſtudio cuique eſt, cùm ipſe primus eſſe cupit, vti proximum deiiciat, exturbet, conuellat, proculcet. Hic ſi quis eſt vir frugi temere euertitur, illuditur, denique ignominioſè exterminatur. Hæc Lucianus. Tu illum virum frugi eſſe puta, qui temere euertitur, illuditur, exterminatur.

At, inquies, veritas tamdem, exploſis maleuolorum calumniis, triumphabit. Faciam, vt Princeps, re bene examinata & cognita, mutet ſententiam, méque in priſtinam gratiam recipiat.

Vtinam ita ſeſe res habeat. Fateor aliquando inuidos reſipiſcere, & Principes, re æqua (vt aiunt) lance examinatam utare conſilium. Quamobrẽ in illa Calumniꝗ icone ab Apelle depicta à tergo lugubri habitu pullata laceráque pœnitentia ſubſequitur, quæ *capite in tergum deflexo cum lachrymis & pudore venientem Veritatem excipit.* Quid tamen ſi Princeps tametſi innocentiã tuam exploratam habeat à ſententia diſcedere nolit, ſiue, ne inconſtans credulúſve habeatur, ſiue vt te demerſo, ſuæ domus veſanæ turbidæque tranquillitati (Ionæ Prophetæ producto exemplo atque ad rem ſuam torto) conſulatur? ſiue quia *hoc habent animi magna fortuna inſolentes,* QVOS LÆSERVNT, ET ODERVNT?

Seneca lib. II. de Ira.

Ex hoc intellige, mi aulice, quàm infelix ſit ſæpe tua conditio, quámque lubrica, quamuis innocenter viuas. Nempe nihil rerum mortalium tam inſtabile ac fluxum eſt, quàm potentia non ſua vi nixa. Quid profuit (vt de veteribus, aliíſque innumeris taceam) Iacobo Triuultio ciui noſtro incorrupta erga Galliæ regem fides? quid tam multis prælíis ſpectata virtus? Conſtat inter omnes, eum ætate iam pæne confectum Lautrechi aliorúmque criminationibus, ab animo Franciſci primi

Regis

Digitized by Google

Regis abalienatum, quòd Venetis valde charus eſſet,& quod ſeſe Heluetiis adiunxiſſet, quorum fretus patrocinio, ad res magnas aſpiraret. Iuit quidem Iacobus in Galliam, vt ſe apud Regẽ purgaret, aduerſariorúmque calumnias refutaret, verumenimuero narrant eum parum honorificè exceptum, eíque à Rege Heluetiorum amicitiam exprobratam. Certè non abiiſſet impune Triuultius, ſed ſuorum potius in regnum illud fama meritorum, quàm innocẽtia ſeruatus fuit. Paucis tamen poſt diebus in febrim incidit, diémque ſuum obiit, vir toto ferme vitæ ſuæ curriculo non tã cum hominibus, quàm cum fortuna ſtrenuiſſimè luctatus.

In filiis hominum.

Rurſus inconſtantia & vanitas Principum oſtenditur.

ECquos, miſer, putas iſtos, quos tantopere admiraris, ad quorũ nutum te totum fingis, ad quorum vocem contremiſcis? Homines ſunt; homines, inquam, tui ſimiles, & Adæ poſteri. Porrò, ſi Adam tam multis cœleſtibúſque opibus à Deo circumuallatus, *cùm in honore* (Pſal. 48.) *eſſet, non intellexit,* aut ſi quoſdam interpretes audias, *non pernoctauit,* hoc eſt, ne vnam quidem noctem in amœniſſimo illo Paradiſo permanſit; tu eos, qui ab adoleſcentia in vitia procliues feruntur, ſuarúmque ſunt libidinũ mancipia; tu eos, *qui errauerunt ab vtero,* conſtantes futu- (Pſal. 57.) ros autumas? falleris falleris mi homo.

Deus adiutor noſter in æternum (canit Propheta noſter) (Pſal. 61.) *Verumtamen* VANI FILII HOMINVM, MENDACES FILII HOMINVM *in ſtateris, vt decipiant, ipſi de vanitate in idipſum.* Quibus ſanè verbis quid aptius veriúſque excogitari dicíque poſſit, non video. Ne de quolibet hominum genere Dauidem loqui putes. *Filij* (Vide Gilber. Genebr. in hunc Pſ.) *hominum,* hoc eſt, nobiles, ac præpotẽtes; Hebraicæ namque

que בנאיש *Beneiſh*; filij virorũ, nobilitate, inquam, opúmq; copia præſtantes dicuntur. בנידאם *Beneadam* verò ignobiles. איש virum virtute dignitatéque præcellentẽ ſonat. אדם obſcurum hominem, & quaſi terræ filium. In Pſalmo etiam XLVII. ſcriptum eſt, *Quique terrigenæ*, hoc eſt, plebei, *& filij hominum*, clari videlicet, ſimul in vnum diues & pauper. Si igitur (inquit Dauid) nobiles viri diuitéſque in alteram libræ lancem inferantur, in alteram VANITAS ipſa, ſine dubio vanitas præponderabit, multóque leuiores deprehendentur ipſamet vanitate. En, aulice, tuæ ſpei fundamentum ipſa vanitate inanius.

In quibus non eſt ſalus.

NVm te ab eo è periculis ereptũ iri putas, cuius tanta vanitas eſt? qui ſemper timet, innumeriſque ærumnis conflictatur? & cui, vt paſſim teſtantur hiſtoriæ tragœdiæque, maxima imminent pericula? Num ab eo te beatum iri confidis, qui ſalutis beatitudiniſque ſuæ fontem ex te petit? & qui mortis legibus ſubiacet? ſalutem felicitatémque ſuam putat Princeps multorum ſeruorum caterua conſtipari: tu eius cateruæ pars; pars igitur & ſalutis & beatitudinis. Ex te ille quærit beatitudinem, tu ex illo? Tuo ſe is latere muniri confidit, tu ſalutem ab eo expectes. O væcordiam! *Næ ille* denique *miſerabilis* (vtor verbis Minutij) *cuius in homine mortali ſpes omnis innititur; totum enim eius auxilium cum extincto homine finitur.*

Non eſt fidendum Principibus, quia ſalutem dare nequeunt.

Minut. F. in Oct.

Exibit ſpiritus eius & reuertetur in terram ſuam: in illa die peribunt cogitationes eorum.

FIet fiet demũ, vt qui humanæ ſortis obliti Neſtoreos annos atque adeò coruorũ æua ſibi pollicebãtur, tri-

Quia ſunt mortales.

duana febricula cõſumpti, ac non rarò repentina morte ſublati, ſentiant quàm fragilis ſit hæc vita, quàm inanis gloria, *ſimiliſque vitro* (vtar verbis Auguſtini de felicitate Romanorum loquentis) *fragiliter ſplendido.* S. Aug. de Ciu. Dei.

Quo pius Æneas, quo Tullus diues & Ancus?
Puluis & vmbra ſumus.

Somniant interdum aliqui ſe tam altos nummorũ aceruos tractare, vt neque Crœſo, neque Midæ cedant. Magnificas domus extruunt ſomniantes, argenteam aureámque ſupellectilem coëmunt, agrorum fines longè latéque producunt; verumtamen quemadmodum hæc omnia tandem à luce detecta mendaciorum plena reperiuntur, inanéſque diuitiæ deprehenduntur; ita ſanè cùm animam ſuam mortales Principes efflant, quàm vanæ quámque inſtabiles fortunæ illæ ſint, quibus tantopere gloriabantur, miſeri intelligunt.

Somniant alij ſe ſumma vi ædificia montéſque concutere, cœlum humeris fulcire, mœnia, vel munitiſſima quatere ac demoliri, exercitus fortiſſimos in effuſam fugam vertere, oppoſita quæque, omnibus licèt viribus munita, perrumpere, ſed veluti luce Solis aduentante, quàm exigua ſit ea hominum vis, apparet, quam noctis tenebræ exaggerauerant altiùs: ſic ſupremo vitæ die vires omnes, quibus Principes elati, humana diuináque omnia barbarè contempſerunt, miſerè collabuntur.

Velut ſomnium ſurgentium Domine in Ciuitate tua imaginem ipſorum adnihilum rediges. Pſ. 72.

Ex Principũ obitu, quãta ſit eorum infelicitas apparet.

Cùm itaque immortalis ac præpotẽs Deus cataſtrophẽ cecinerit, tuúſque terrene Princeps, anhelitus reuocabitur in humum ſuam, in humum, inquã, illam, quæ imi ſubſellij homunculos cum optimatibus miſcet, atque adeò ſceptra ligonibus æquat, ſtatim profectò apparebit, quanto illi in errore verſantur, qui hominem æſtimant

Digitized by Google

æſtimāt non eo quo eſt, ſed quo extrinſecus exornatur, opibus nimirum, honoribus, aliiſque fortunæ mendaciis, tunc tu, cui ſceptrum in huius vitæ ſcœna, fabula aſſignauerat, tu qui elatus inceſſeras & cothurnatus, excalceaberis, atque ad ſtaturam tuam redibis, tunc ô vir diuitiarum tamquam ex alto ſomno experrectus nil aliud inuenies in manibus tuis niſi vmbras; tunc tui ô bellicoſe, qui montibus more gigantum inſuliſque cœlū quatere atque expugnare parabas, conatus cadent itriti non ſecus ac quercus fulmine icta diſiicitur; tunc eorum, *qui ex ancipiti mutatione temporum pendebāt, proſperiſque tuis rebus certabant ad obſequium*, fauſtæ acclamationes in rabidos latratus vertētur, & illi ipſi, qui *tibi ſuperſtiti bene precabantur, terrā grauem imprecabuntur, & cineri penes inferos tormentum.* Quòd ſi aliqui fuerint, qui tuo funeri illachrymentur, num nouum putas in Principum funere mœrorem fingi? *Periiſſe Germanicum nulli iactantius mœrent* (aiebat Demetrius Celer apud Tacitum) *quàm qui maximè lætantur.*

Tertul. lib. de teſtim. animæ.

Tac. lib. 2. an.

Tu verò amice, qui poſtumorum beneficiorum ſpe illectus, elephantis partum diu expectaſti, tu qui vigilans diu ſomniaſti, atque Soſiæ illius Plautini hoc idemtidem vſurpabas moræ impatiens,

Eius aulici inane ſtudiū qui mortuo Principe ſuā adhuc ſpem ad haredes Principis transfert,

Credo equidem dormire ſolem atque appetum probe;

Plaut. in Amphit.

tu qui multa perpeſſus es, vt lux aliqua tenebras tandem diſiiceret, ſeruitutémque tuam ac aſſiduos labores fructus aliquis prēmiúmque conſequeretur; Numine iſto tuo extincto, aſylóque collapſo, quid facies ſpe longa fruſtratus? quò te vertes? quò miſer confugies? cuius fidem opémque implorabis?

Hæredes, inquis, Principis adibo; ſupplices manus protendam, hianti ore, vt pulli hirundinum querula voce cibum petam. Eorum inſtar, qui in magna ſicci-

Digitized by Google

tate *Aquilicia Ioui immolabant. Nudipedalia populo denunciabant, nubila de laquearibus expectabant*, cœlum vocibus tundebant, vt aliquid pluuiæ deſtillaret in terras; aureũ imbrem, quo exuſta crumena irrigetur, flagitabo. Annos enumerabo ſeruitutis, caniciẽ oſtentabo, fidelitatẽ meam animíque candorem, ipſemet, ſilẽtibus aliis, prædicabo. Magnus gubernator & ſciſſo nauigat velo (inquit Seneca) etſi exarmauit, tamẽ reliquias nauigij aptat ad curſũ. Bene quidem, Tertul. apolog. cap. 40. Seneca ep. 30.

Tu ne cede malis, ſed contrà audentior ito. Virg. 6. Aene.

Scimus fortes & ſtrenuos etiam contra fortunam inſiſtere ſpei, timidos & ignauos ad deſperationem formidine properare. Sæpe maiori fortunæ locum fecit iniuria. Multa ceciderũt (aiebat tuus Philoſophus) *vt altiùs ſurgerent & in maius. Terra marique humana opera ceſſarent, niſi malè cedentia iterum tentare libuiſſet.* Tac. lib. 18. an. Senec. ep. 91. Senec. lib. 7. de ben. cap. 31.

At illi te à ſpe in ſpem trahent. Etiamnum teſtamenti tabulas obſignatas, forte reſpondebunt. Proinde obdurandum. Elephantem aliquando parituram, optatum imbrem caſurum. Tu quid interim facias? Hæres tamquam nauis in ſalebris? Ego vatem agam, ſi lubet, ego tibi prædicam quid facturus ſis. Cum Claudio (liceat mihi per humanitatem tuam, ludicra hæc ſeriis immiſcere) alea ludes pertuſo fritillo, & fugientes teſſeras quæritabis.

Nam quoties [Claudius] *miſſurus erat* Senec. in Apocol.
reſonante fritillo
Vtraque ſubducto fugiebat teſſera fundo;
Cúmque recollectos auderet mittere talos
Luſuro ſimilis, ſemper ſempérque petenti
Decepere fidem, refugit, digitóſque per ipſos
Fallax aſſiduo dilabitur alea furto.
Sic cùm iam ſummi tanguntur culmina montis.

Irrita

Digitized by Google

Irrita Siſyphio voluuntur pondera collo.

Hor. ep. 1. lib. 1. Eius quoque ruſtici veſaniam imitaberis, de quo Horatius ita cecinerat:

Ruſticus expectat dum defluit amnis, at ille
Labitur & labetur in omne volubilis æuum.

Quid, miſer, irrito labore te diutius torques ac maceras? Supputa ſupputa mi homo rationes tuas: dati acceptíque tabulas confer: expende diuturnam ſeruitutem tuam, beneficiáque accepta, reperiéſque ſuperſtite Principe vana te ſpe inflatum; mortuo, & ſpem & rem concidiſſe. Ferunt Andræaſſum Caſtellum ſeniorem, virum & animi & corporis robore inſignem, arte militari, triumphorúmque magnitudine celebrem, non eam quam ſperauerat, quæque virtuti multis exemplis ſpectatæ debebatur, laborum mercedem tuliſſe, ac proinde vſum per iocum in criſta gentilitij ſtemmatis candela accenſa, cum hac inſcriptione, ALIIS INSERVIENDO CONSVMOR. Quod vllum, infelix aulice, qui illiberali Principi fortunas, ætatem, ingenij vires ob ſpem neſcio quam, quæ te diutiſſimè ludificauit, miſerè conſumpſiſti, aptius tibi magíſque proprium ſymbolum reperias? eò enim redactus es, vt lumine, quod facultatum tuarum pinguedine alebatur, extincto, totus in fumum euanueris. Quid tu igitur præpoſteram iſtam ſpem, monſtrum tam inconſtans, ac tetrum tam conſtanter colis? quid tu tam debili ſuſtentaris baculo? quid tu tam tenui filo vitam tuam alligaſti? quid tu naui innumeris rimis fatiſcenti immane fretum ſuperare audes? quid tu incumbere non times *parieti inclinato & maceriæ depulſæ?*

Iul. Roſcius in Eleg. militar.

Pſal. 61.

Digitized by Google

Beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in Domino Deo ipſius: qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt.

Ille verè beatus eſt qui ſpem ſuam figit in Deo rerum omniū creatore.

SI vlla eſt in terris beatitudo (quam eſſe quidem etſi rudem atque inchoatam docent Theologi, & eam Dauid illis verbis, *Beati immaculati in via*, non obſcurè indicat:) ea eſt viri diuino robore firmati, terrena deſpicientis, ſua ſorte contenti, atque ad cœleſtia ſemper aſpirantis. Quòd ſi mauis Dauidem hîc de illa felicitate loqui, qua mentes ab omni corporis labe ſecretæ in cœlis perfruuntur; næ ille, qui cœleſtibus viribus fultus in Deo rerum omnium creatore ſpem ſuam figit, beatus erit, ſtatúmque bonorum omnium aggregatione perfectum conſequetur. Pſ. 118.

Porrò dicitur *Deus Iacob*, hoc eſt, verus Deus: nã familia Iacob verũ Deũ colebat, cùm Ammonitæ, Moabitæ, Philiſthæi, & cæteræ finitimæ gentes eſſent idololatræ. Ergo non is, qui mortalem hominem tamquam Numen veneratur, beatus cenſendus eſt, ſed qui verum Deum non humanis viciſſitudinibus obnoxium, nec bonorum noſtrorum indigentem, ſed totius beatitudinis fontem, colit, in eóque omnem ſpem ſuam ſitam habet.

Spes, quæ in homine collocatur, quàm fallax, quàm vana ſit, paulo antè ſatis demonſtratum puto: quæ autem in Deo figitur, tam firma eſt, vt à Dauide ſecuritas ipſa nominetur. *In pace in idipſum dormiam & requieſcam, quoniam tu Domine ſingulariter in* SPE *conſtituiſti me.* Pſal. 4. Quietum (inquit ille) ſomnum capiam, atque in vtramque (vt aiunt) aurem dormiam, quoniam hanc meam requiem in tuto collocaſti. Spes hîc Hebraicè בטח *Betha*, hoc

hoc eſt, ſecuritas.

Quantum igitur ſapiens, ſi Deo potius rerum omnium Creatori, quàm homini, hoc eſt, miſeriarum omnium cumulo (vtar verbis Dauidici) VNIVERSÆ VANITATI temet tuáque omnia crediderit? Ecquiſnam facilius, quis benignius, quàm Deus te iuuare poteſt, qui ex inſita bonitate, nullo negocio, hanc rerum vniuerſitatem non ſibi, ſed humanis potiſſimum vſibus condidit, conditam ſapientiſſimè liberaliſſiméque conſeruat? Cui autem minus fidas, quàm homini, qui ſiue tibi ob auaritiam odiúmve prodeſſe non vult, ſiue ob imbecillitatem, etiamſi maximè velit, non poſſit?

Hæc rerum vniuerſitas humanis potiſſimũ vſibus à Deo procreata eſt.

Ad magnum hoc ſydus, quod quidam Mundi oculum lepidè nominarunt, SOLEM inquam, quo vno omnia implentur atque collucent, cuius quotidiano curſu diei noctíſque ſpatia ſignantur, annúſque temperatur, cuius calore aluntur corpora, immodici humores comprimuntur, hyemis triſtitia miteſcit, tellus tepefacta verno tempore aperitur; Æſtate fruges matureſcũt; Autumno tanta tibi fructuum copia percoquitur, oculos mentémque conuerte.

Lunam noctis tenebras leni ac remiſſo lumine ſegregantem, ſpatia menſtrua conficientem, ſuíſque incrementis ac damnis admirabilem, ſuſpice.

Stellas quæ certis ac definitis verſibus rerum viciſſitudines faciunt humanæ vitę perquam neceſſarias, contemplare.

Dein proximum hunc aëra intuere, quo reſpiramus; collectas nubes, cadentem pluuiam, qua exuſta tellus irrigatur, mollitur, ſeminibúſque paratur. Ventorum prꝗterea ingentem vim obſeruare ne pigeat. Hi per totum cœlum diffuſi, aërem dum aſſiduè exercent impellúntque, vtilem nobis reddunt ac vitalem. Hi ęſtiuos

ardores

ardores temperant. Hi modò imbres euocant, ac ſpargunt in terras, modò nimios comprimunt. Hi ſatorum arborúmque fructus alunt, ipſíque maturitati multum conferunt. Hi demum regionum commoda communia faciũt, populóſque magna locorum intercapedine diſiunctos conſociant.

Deflecte iam oculos ad TERRAM, quam OPEM dixerunt maiores noſtri, cuius ope humanæ vitæ alimenta quæruntur; matrémque, quippe quæ natos homines ſuo ſinu excipit, & magna florũ, ſalutarium herbarum, frugúmque varietate ſtatis anni temporibus, fuſa, recreat ac nutrit, quæque mortuos demum piè recondit ac ſepelit. Hîc innumeras belluas aſpice, tuis, homo, pedibus prouolutas, vt multis laboribus in colendis agris earum adminiculo leuareris, earúmque lacte & carnibus alereris.

Macr. lib. 1. c. 10.

Oceani mirum & vaſtum ambitum circumſpice, ex quo fontes & amnes (quos fœcundiſſimæ huius matris mammas eleganter nominauit Philo Iudæus, per abditas terræ cauernas atque receſſus, emanantes natiuam amaritiem deſerunt, potúmque cunctis animantibus ſincerum.

Philo Iudæus de mũdi opificio explicãs ea verba Gen. 2. *Fons aſcẽdebat de terra.* Aliter sẽtit Ariſt. in Mete. Vide Senec. qu. nat. li. 3. c. 5. Sed nos Salomonẽ ſequimur, pro cuius opinione vide Iul. Cęſ. Scal. in exerc. exot. ad Hier. Cardanum.

Salutarem copioſúmque tribuunt. Quanta inter aquas piſcium (quos humanæ vitæ delicias non ineptè dixeris) varietas? Quanta *luxuriam quoque inſtruens copia, neque enim neceſſitatibus tantummodo noſtris præuiſum eſt* (ſcitè aiebat Seneca.) *Vſque in delicias amamur.*

Senec. lib. 4. de benef.

Quæritur, cur Deus innumera humano generi contraria & inimica procrearit.

At dixerit aliquis, cur ſi Deus hanc rerum vniuerſitatem hominis cauſſa procreauit, tam multa nobis contraria & inimica cùm in mari, tum in terra reperiuntur?

Stoici, cùm dicerent multa eſſe in gignentibus & in numero animalium, quorum lateat vtilitas, ſed eam proceſſu temporis inueniri (ſicut iam plura prioribus ſæculis

ſæculis incognita, neceſſitas & vſus inuenit, hac ſe difficultate liberos eſſe putarunt.

Sed Lactantius hunc ſibi nodum ſic explicaſſe viſus eſt. *Breuiùs igitur & veriùs reſpondere potuerunt in hunc modum: Deus cùm formaſſet hominem, veluti ſimulacrum ſuū, quod erat diuini opificis ſummum, inſpirauit ei ſapientiam ſoli, vt omnia imperio ac ditioni ſuæ ſubiugaret, omnibúſque mundi commodis vteretur. Propoſuit tamen ei bona & mala, quia ſapientiam dedit, cuius omnis ratio in diſcernendis malis ac bonis poſita eſt.* Et paulo inferiùs. *Propoſitis igitur bonis maliſque tum demum opus ſuum peragit ſapientia, & quidem bonum appetit ad vtilitatem, malum reiicit ad ſalutem.* Hæc ille; quæ ſanè ſi diligẽter obſerues, de ipſis quoque rebus homini noxiis diuino Numini gratias ages, víxque vmquam adducare, vt mala quæ ſunt, mala eſſe dicas.

Lact. lib. de ira Dei. c. 13.

Adde quòd ſi primi noſtri parentes in officio permanſiſſent, nihil vmquam noxij experti fuiſſent.

Quin tu itaque, aulice Chriſtiane, terrenis & caducis rebus ſpretis, temet cum diuino ſempiternóque Numine conglutinas, à quo tot tantáque beneficia in te extiterunt, atque exiſtunt in dies?

Aulicus cum æterno Deo ſeſe coniūg. &c.

Ipſæ te animantes rationis expertes, atque adeò res inanimatæ monent, vt perpetuam aliquam coniunctionem ames. Grues ob alas parum firmas, corporíſque imbecillitatem inſtar nauis ventis agitatæ fluitant; quod cùm naturæ vi inſtinctúque cognoſcant, lapide vnguibus apprehenſo, vacillantem volatum fulcire ſolent.

Iob 13. Tu homo qui à ſancto Iobo iure *folium, quod à vento rapitur, ſtipuláque ſicca nominaris*, modò lapidem angula-
Pſ. 117. rem, lapidem, *quem reprobauerunt ædificãtes*, apprehendas, (impetant te licèt circumquaque dæmonum furiæ) ecquid vmquam periculi formidabis?

Digitized by Google

Video & hederas (inquit Tertullianus) *quantum velis premas ſtatim ad ſuperna conari, & nullo præeunte ſuſpẽdi, quòd malint parietibus inuehi textili ſylua, quàm humi teri voluntaria iniuria.* Tu animal ad ſublimia natum, humi repere pulchrum putabis, diuinámque opem præeũtem, téque ad ſuperna erigentem negliges? Atqui *ſacrilegij vel maximi inſtar eſt* (vtar verbis Minutij Felicis) *humi quærere quod in ſublimi debeas inuenire. Video & vitem* (pergit Tertullianus) *adhuc tenerem & impuberem intelligentem tamẽ iam opera ſua, & volentem alicubi adhærere, cùm innixa & innexa proficiat.* Tu homo rationis particeps, diuina imago, ſi terrenis caducíſque rebus contemptis, Deo adhæſeris, papæ quantum proficies! Tertul. lib. de anima. Minut. F. in Octau.

Age itaque mi aulice, ſic Deum tuum affare, *In velamento alarum tuarum exultabo, adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua. Ipſi verò,* hoc eſt, dæmones, qui mihi inſidias tendunt, *in vanum quæſierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.* Profectò, vt is, qui Deo adhæret, dæmonum inſidias facillimè ſuperat, ita is, qui rebus terrenis implicatur, eorumdem fit præda & cibus. Audi Cyprianum: *Serpenti terram ſecundùm Dei ſententiam deuoranti præda & cibus fiunt qui terreſtribus inhæreſcunt.* Pſal. 62. Cypr. lib. de lapſ.

Et Seuerini hos aureos verſus demum recitare ne pigeat:

Da Pater auguſtam menti conſcendere ſedem,
Da fontem luſtrare boni, da luce reperta
In te conſpicuos animi defigere viſus.
Diſiice terrenæ nebulas & pondera molis,
Atque tuo ſplendore mica: tu namque ſerenum,
Tu requies tranquilla piis, te cernere finis,
Principium, vector, dux, ſemita, terminus idem.

Boët de conſol. Philoſ. lib. 3.

Qui

Digitized by Google

Qui cuſtodit veritatem in ſæculum.

SEmper ſuam fidem ſeruat Deus: nam & poteſt, vt vidimus, iuuare, & vult.

Gregor. Gyral. Syntag. 1.2. & 10. hiſt. deorum Piet. Valer. Hierogl. lib. 4.

Veritas fidei parens dicta à maioribu snoſtris, eáque nuda, nullóque fuco compta pingebatur, quòd in pactis conuentionibúſque nihil fucatum, nihil ſubdolū, aut à veritate alienum eſſe debeat. Hebræis eadem eſt, quæ fides. *Diuina in perſoluendis promiſſis conſtantia.*

Pſ. 144. *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.* Ecce tibi dictorum factorúmque coniunctionem, vt videas perfectam eſſe Dei fidem, quæ nihil aliud eſt quàm DICTORVM FACTORVMQVE CONSTANTIA ET VERITAS. Et quidem cùm ille dicat, *Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis*; quis dubitet, quin (modò rectè petamus) promiſſa largè benignéque perſoluat? Qua verò ratione, qui bene precatur, ſemper votorum compotes fiant, docent paſſim ſancti Patres. Conſulat qui volet eorum Commentarios, reperiétque ſanctas puráſque fidelium preces numquam ſuo fine fruſtrari, nihílque à Deo æquè alienum eſſe atque perfidiam.

Atenim, cùm petierim quæ cùm animo, tum corpori eſſent ſalubria, nil tamen adhuc ſum conſecutus.

Auguſt. tract. in Ioan. 102. initio.

Quid? *Accipit quod petit* (inquit Auguſtinus) *ſi non contra ſuam ſalutem ſempiternam petit: accipit autem quando debet accipere*; QVÆDAM ENIM NON NEGANTVR, SED VT CONGRVO DENTVR TEMPORE DIFFERVNTVR. Tu interim perge vt cœpiſti; pulſa & aperietur tibi.

Nihil nihil, mihi crede, Deo fidelius conſtantiúſque inueniri poteſt. Rectè itaque Propheta noſter, eximias illius dotes commemorans, ait, *Qui cuſtodit veritatem in ſæculum.*

Digitized by Google

ſæculum.

Terreneri in Principum perfidia. Cæterùm *omnis homo mendax.* Id cùm animaduertiſſet hic idem ſanctiſſimus vir, ſic diuinam fidem implorans exclamauit: *Saluum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.* Diminutæ verò? Deſierunt veritates (ſic enim Hebræi legunt) abiit ab hominum cœtu fides. *Vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximũ ſuum, labia doloſa in corde & corde locuti ſunt.* Quiſque ſeſe (inquit Propheta) lenibus blandiſque verbis inſinuat ſocio, vt eum fallat, aliud habens in ore, aliud in pectore. Quod verò fœdiſſimum eſt, ac monſtri ſimile, terreni Principes, quibus vt facillimum, ita ſanè pulcherrimum tutiſſimúmque foret fidem colere, perfidia vſque adeò oblectantur, vt maiorum exempla, qui fidẽ hoſti, ac vel homini perfido datam capitis etiam periculo ſeruandam docuerunt, ſpernentes, regium eſſe ducũt pacta turbare, in re ſeria ludere, atque, vt ita dicam, Protheum agere. Ecqua tandem ratione ingrati animi notam effugient ij Principes, qui præclariſſimam hanc virtutem, cuius viribus dominantur, & quam vel inuiti imperij ſui baſim nominare coguntur, conuellunt atque proſternunt? Horret animus, cùm Rhadamiſti illius barbarum & crudele facinus memoria repeto, qui, vt Cornelius refert, *primo in Mithridatis amplexus effuſus ſimulare obſequium, ſocerum & parentem appellare. Adiicit iuſiurandum non ferro, non veneno, vim allaturum. Simul in lucum propinquum trahit, prouiſum illic ſacrificium imperatum dictitans, vt diis teſtibus pax firmaretur.* Quid? *Mox Rhadamiſtus quaſi iuſiurandi memor, non ferrum, non venenum in ſororem & patruum expromit, ſed porrectos in humum & veſte multa grauique opertos necat.* Hęc barbari hominis fides. Siccine rei ſanctiſſimæ illuditur? O ſcelus vix vllis piaculis eluendum! Atqui ſi liceret noſtrorum quorum-

Pſ. 115. Pſal. 11. Tac. lib. 12 an. Idẽ ibid. paulo inferiùs.

dam

Digitized by Google

dam Principum conſimilia facta commemorare, nihil eſſet profectò cur ex veteri hiſtoria barbarorum exempla ſumeremus. At quis vmquam in lubrico pedem feliciter poſuit?

Sed nonnullis (ais) obſtinatam inuictámque fidem pernicioſam aliquando fuiſſe, memoriæ proditum eſt. M. Regulus acerbiſſimos cruciatus, crudeliſſimámque necem perpeſſus eſt. Guido Comes Flandriæ (vt alios nonnullos tacitus prætermittam) captiuus apud hoſtes interiit.

Valer. Max lib. 1. c. 1. Fulgoſ. lib. 6.

Quid tum? Scilicet maluerunt viri ſapientiſſimi prò ſua erga Patriam pietate, vitam profundere, quàm fidē vel tantillum violare, certò ſcientes paucorum ciuium, fidem ſanctiſſimè colentium, interitu, non extingui, ſed illuſtrari ciuitates.

Sanè, cùm Principes tametſi acutiſſimo ingenio prędititi ſint, falli poſſint interdū (homines enim ſunt) quamquā haud facile fallētur, ſi viros pios & doctos in conſiliū adhibuerint antequā deliberēt) haud ego eos inconſtantiæ perfidiæque arguendos eſſe dixerim, qui eam fidem frangunt, quam cùm ſibi, tum Reip. indecoram exitioſámque futuram eſſe cognouerint; cùm enim fides Iuſtitiæ fundamentū ſit, quis vmquam ſanæ mentis homo eam dicendā eſſe fidem velit, quæ iuſtitiam excindit? Quin potiùs (ſi me audias) eos irridendos eſſe dixeris, vel, vt veriùs loquar, deplorandos, qui ſi inhoneſtum quippiam promiſerint mori malunt (tanta eſt vęcordia) quàm incōſtantiæ perfidiæq; conuinci. Non eſt hęc fides, ſed peruicacia, ſed amentia. *Si magno mihi, aut* DETRIMENTO, *aut* RVBORI *futurum eſt* [quod promiſi] *malo ſemel excuſare* (aiebat Seneca) *quare negauerim, quàm ſemper quare dederim.* Et rurſum: *Non eſt leuitas à cognito & damnato errore diſcedere, & ingenuè*

Non ſunt accuſādi perfidiæ Principes, qui fidē, quā indecorā a que exitioſam ſibi ac Reipubl. futuram intellexerint, frāgant.

Seneca lib. 4. de beneficiis.

 fatendum

Digitized by Google

fatendum eſt, alud putaui, deceptus ſum. Hæc verò ſuperbæ ſtultitiæ perſeuerantia eſt, quod ſemel dixi qualecumque eſt fixum ratúmque ſit. Non eſt turpe cum re mutare conſilium. Hinc quanta Germanorum olim fuerit ſtultitia colligitur, de quibus hæc noſter Tacitus. *Aleam, quod mirere, ſobrijs inter ſeria exercent tanta lucrandi perdendíve temeritate, vt cùm omnia defecerunt, extremo ac nouiſſimo iactu de libertate ac de corpore contendant. Victus voluntariam ſeruitutem adit, quamuis iunior, quamuis robuſtior, alligari ſe ac vænire patitur.* EA EST IN RE PRAVA PERVICACIA. IPSI FIDEM VOCANT. & de Herode ſanctus Ambroſius. *Quanto tolerabilius tali [Herodi] fuiſſet periurium ſacramento, ſi tamen periurium dici poſſet, quòd ebrius inter vina iurauerat, quòd deieratus inter ſaltantium choros promiſerat. Infertur diſco Prophetæ caput, & hoc æſtimatum eſt fidei eſſe, quod amentia fuit.*

Tac. de motib. Germ.

S. Amb. lib. de off.

Principes reprehendūtur, qui honeſtam fidem fallere nihil curant.

Illi igitur reprehendendi ſunt, illi inſectandi, è quorum ore calidum (vt aiunt) & frigidum, & qui leuiſſimis de cauſis à ſeipſis turpiter diſſentiunt, honeſtámque fidem fallere, parum nihílve referre putant.

Quotuſquiſque eſt igitur, qui eiuſmodi Principibus, quibus nec pudori eſt, nec religioni datam fidem violare, ſemet ſuáque omnia credat? Quis ab eo ſanctiſſimarum legum curam ſuſcipi putet, qui FIDEM, hoc eſt, iuſtitiæ ſedem ac fundamentum, quo leges ſtabiliuntur, conuellere non dubitat? Quis demum ſperet corruptos perfidorum mores ab eo componendos eſſe, qui ſecum ipſe mirabiliter pugnet?

Aulicus ne ſit credulus promiſſis Principum caueat, ſed ſemet ſuáque omnia Deo credat.

Erige itaque, aulice, animum tuum, ſpémque tuam in Deum Opt. Max. confer, *qui cuſtodit veritatem in ſæculum.* Quàm terreni principes aulicis infidi ſint, hiſtoriæ omnes teſtantur, ne ſcœnæ quidem ſilent. Afferrem exempla cùm vetera, tum recentia, at non humanarum rerum

Digitized by Google

rerum ignaro ſcribere me puto. Ipſa infelicis aulici, qui diuturnam duriſſimámque ſeruiuit ſeruitutem, facies (vel me tacente) ſatis ſupérque demonſtrat, quàm durè tractatus ille fuerit, quàm vanis promiſſis circumuentus ac ludificatus. Quanta vultus macies, totiúſque corporis imbecillitas? Audi, quas miſer edit in extremo ætatis actu querulas voces, data ſibi verba dolens.

Quàm ſerò (eheu me miſerum!) ſapere cœpi, meámque ſtultitiam noui. Aperui quidem iamtandem oculos, méque hactenus vmbras tenebráſque temere ſectatum eſſe ſenſi, at eos in ea ætate aperui, in qua præ ſenectute ita languent, hebeſcunt, atque caligant, vt lucem, qua olim melioribus annis maxima cum voluptate fruitus eſſem, intueri nequeam. Si amicum aliquod in tempeſtate fulſerit ſydus, exporrigunt Nautæ frontem, omnémque ex animo timorem abiiciunt. Vide ego naufragium, damnum ſentio, at quid mihi prodeſt hæc lux, quæ naufrago inſultat, anteactæque vitæ temeritatem exprobrat? O vtinam numquam è littore ſoluiſſem, vétorúmque ludibrio memet meáque omnia dediſſem, ſcopulos certè vitaſſem, ad quos miſer alliſus ſum, immanéſque fluctus in portu tutus contempſiſſem. Pereat ambitio. Pereat auaritia, cæteræque peſtes, quæ me bonis omnibus expoliatum in hanc voraginem demerſerunt.

Ætas profectò me deficeret, ſi eius omnes inanes querelas huc transferre velim. Fortunæ, cuius blandimentis non ſecus ac turbine peſſumdatus eſt, rotam admiratur, & ſæuitiam accuſat. Modò eam fraudolẽto cauponi comparat, qui hoſpites hilari vultu exceptos expilat, modò meretriculæ, quæ homines dulci veneno delinitos tandem enecat. Equorũ, qui dum vſui ſunt chari habentur, inutiles facti, phaleris ephippiiſq; ſpoliantur,

tur, abiiciuntúrque, ſe perſimilem dicit. Saceulum, quem aureis impletum iri putabat, plenum aranearum oſtentat, & pæne nudus clamat, OMNIA BONA MEA MECVM SVNT; hoc tamen Stilponi diſſimilis, quòd ille amiſſis liberis, amiſſa vxore, ex incendio publico ſolus & tamen beatus euaſit, hic ex aula mortalium omnium infeliciſſimus. Quid te pluribus morer? Plautina illa ſemper habet in ore,

Eheu redactus ſum ad hanc vnicam tuniculam, Plaut. in Rud. ſc. 5.

Et ad hoc miſellum pallium; perij oppidò.

Demum (quod valde mireris) maiore cũ eiulatu, largioréſq; lachrymas profundens, ſuæ adhuc ſpei, quæ tãtorum cauſſa malorum fuerat, memor, ſuas omnes querimonias ita cum eodem illo Plautino claudit,

Perdidi ſpem, qua me oblectabam. Plaut. in Rud.

At memineris, aulice, veteris prouerbij, SERÒ SAPIVNT PHRYGES. Prius quomodo Syrtes iſtas atque Charibdes effugeres integra incolumíq; nauicula, iſtorúmque fluctuum impetum ac rabiem tutus euaderes, conſiderare debueras, quàm à littore ſolueres. Quanto melius fuiſſet Deum ſequi, QVI CVSTODIT VERITATEM IN SÆCVLVM, cui qui confidit, *ſicut mons Syon non commouebitur in æternum, qui habitat in Hieruſalem.* Pſ. 124.

Quid attinet iam de fato queri? Temetipſum potiùs ô miſer, obiurga. Quid enim te ad ſeruitutem adegit? Num egeſtas? Atqui ſi non amplũ ac opulentum, ſaltem tibi mediocre patrimonium erat. Fuerit tamen tenuiſſimum. Nónne illud potuit parſimonia induſtriáque augeri? Et quidem. *Ineſt enim in omni ſacculo* (dicebat Seneca) *quot ſat eſt.* At inquies fortaſſe, te mercatores illos imitatum fuiſſe, qui mari fortunas ſuas audacter committunt ſpe magni alicuius lucri. Illos quidem aliquan- Senec. ep. 17.

do

do decoquere, naui à turbine demerſa, mercibus, lucríque ſpe à fluctibus hauſtis, non rarò tamen bene numeratos domum redire. Iaciendam proinde aleam.

Plaut. in Aſin. *Neceſſe eſt facere ſumptum qui quærit lucrum.*

Itáne verò? Lue igitur vnà cum mercatoribus temeritatis pœnas, qui non tam egeſtate, quàm auri auræque popularis famę ſacra compulſus tete Principum ædibus mancipaſti. Scitè profectò Poëta Lyricus,

Hor. *Qui pauperiem veritus potiore metallis*
Libertate caret, dominum vehet improbus atque
Seruiet æternum, quia paruo neſciet vti.

Cic. de petit. Conſul. Agedum tu, qui terrenorum Principum promiſſis oblectaris, vel oneraris potiùs, *Epicharmion illud teneto* (vtar verbis Ciceronis) *neruos atque artus eſſe ſapientiæ non temere credere.* Et Senecæ hoc monitum animo tuo infixum hęreat, *Nihil niſi quod in oculos incurret manifeſtúmque erit credamus. Et quoties ſuſpicio noſtra vana apparuerit, obiurgemus credulitatem.* Non omnibus quidem abroganda eſt fides; vtrúque enim (vt idem alibi inquit) *in vitio eſt, & omnibus credere, & nulli,* ſed magna tibi adhibenda eſt cautio, ac diligentia, ne circumueniaris. Demoſthenes vſque adeò hanc ἀπιστίαν commendat, vt vnam illam eſſe dicat ſapientibus à natura conceſſam CVSTODIAM SALVTIS ET FORTVNARVM.

Senec. lib. 2. de ira. Senec. in ep.

Tu autem Chriſtiane Princeps (ſi Princeps, quàm Tyrannus eſſe ac dici mauis fidem, quæ in re meritò Iuſtitiæ fundamentum dicitur, *ſanctiſſimum humani pectoris bonum*, ac rerum publicarum ſalus, qua vita continetur, ſine qua nihil firmum, nihil diuturnum eſſe poteſt, ab exilio in Patriam reuocato. Reuocabis autem, ſi quæ Deo boníſque viris pollicitus es, aliquando præſtiteris. *Princeps honeſtam fidē colat.*

Senec. ep. 89.

Porrò quemadmodum Tyranni fidem tam hoſtiliter oderunt, atque execrantur, vt eam ne inter ſubditos

 quidem

Digitized by Google

quidem ſedem habere patiantur (ſciunt enim numquã tyrannidem euerti, niſi cùm aliqui conſenſerint & conſpirarint;) ita ingenui Principes eam imperij ſui vinculum eſſe pro certo habent, eâque duce ſperant ſe ad Deum proximè acceſſuros. Certè Romani illam in Capitolio (vt refert Cato Cenſorius) vicinam Iouis eſſe voluerunt, vt ſe eius magis beneficio, quàm armorum ſtrepitu tantam gloriam conſecutos eſſe ſignificarent. Quin ipſas legiones non tam Aquilis & Imperatorum aureis imaginibus, quàm eiuſdem vexillo (propterea enim in ſignorum faſtigio dexteræ duæ complexæ interdum apponebantur) cohoneſtandas putarunt.

Vide Ariſt. lib. 5. polit.

Inuehitur auctor in eos politicos, qui fidẽ, cùm ita occaſio poſtulat, violandam eſſe docent.

Quid (malum) rem tam ſalubrẽ, tam ſanctã, ac diuinã noſtræ tẽpeſtatis Politici euertere non dubitãt? Quid Sex. Pompeium irrident, cui cùm facillimũ eſſet aduerſarios ſuos violata fide obtruncare, atque ita toto terrarum orbe potiri, pluris fidem, quàm imperium fecit? Docent paſſim hiſtoriæ nonnullos Principes fidei adminiculo ingentibus opibus locupletatos, ſuorúmque populorum amore & obſeruantia non minus quàm armis munitos, hoſtibus formidabiles fuiſſe; & tamen erunt homines tam impudentes, vt docere audeãt Religionem virtutémque imperio famulari debere, licerèque Principi pro re nata fidem vel iureiurando firmatam ęquè atque cothurnum exuere? Iſtúdne eſt Machiauelliſtarum acumen? Hæccine tam arroganter oſtentata rectè regnandi forma? Quid aliud dicam, niſi ab his nebulonibus, queis nec ara, nec fides, nõ Reges & Principes, ſed latrones inſtitui? Quid enim ſine fide, hoc eſt, iuſtitiæ baſe, regnum aliud eſt, niſi magnum publicúmque latrocinium? Ipſemet Machiauellus fatetur Romanis antiquiorem fuiſſe fidem, ſanctiúſque iureiurandum quàm leges, vllámque vtilitatem, quippe qui

pluris

Digitized by Google

pluris diuinam quàm humanam potentiam æſtimarét,
Tac. lib. 1. ac pro certo haberent DEORVM INIVRIAS DIIS CVRÆ.

Quidni eos igitur imitãdos doceat à Principe imperandi cupido, qui non tam armis, quàm fidei beneficio longè latéque ſuum imperium propagarunt? Nullum profectò exitum haberet hic noſter Commentarius, ſi eorum hîc Principum exempla enumeranda ſuſcipiam, qui ob ſeruatam fidem incolumes à Deo ſeruati ſunt. Vnum afferã, ex quo Principes plus nimio Machiauelliſtis addicti facile intelligere poterunt, quàm bene bonis Principibus inuicta fides ceſſerit. Cùm Alexander Macedo bellum gereret cum Dario Perſarum Rege, nihil non egit, vt Iaddum ſummum Iudæorũ ſacerdotem à Dario abalienaret, eúmque ſibi fœdere copularet. Miſit proinde ad eum nuntios, qui illius animum optimis oblatis conditionibus pertentarent. Reſpondit ſummus ſacerdos, ſibi illud nõ licere; fœdus enim, quod cum Dario percuſſum fuerat, inuiolabili ſacramento confirmari.

Ioſephus antiquit. lib. 11. cap. 8.

Heus tu Politice, vbinam tuum commentum ac ſomniũ, quo adducto ſupercilio probare contendis in eo ſtatu maximi Principis victoríſque volũtati (fide etiam violata) obſequendum fuiſſe? Fateor Alexandrum, audito ſacerdotis reſponſo excanduiſſe, ac de Hieroſolymis expugnandis populandíſque conſilium cepiſſe, verùm vſque adeò eius demum ira deferbuit, vt tamquã victus hunc ipſum ſacerdotem, in quem excanduerat, pontificiis veſtibus indutum, religioſiſſimè veneratus fuerit.

Præſtat itaque Chriſtiane Princeps, vt diuino Numini, quàm impiæ pernicioſiſſimæque Machiauelliſtarum doctrinæ temet committas: nam, *Niſi Dominus cuſtodierit*

Princeps ne impiã pernicioſáq; Machiauelliſtarum fidem

Pſ. 126.

conuellentiũ, doctrinam ſequatur. *ſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat, qui cuſtodit eam. Vanum eſt tibi ante lucem ſurgere.* Vanum planè tibi erit diuinis legibus humani acuminis tenebras offundere, ſurgunt porrò ante lucẽ, ſed fruſtrà, qui ſuo dumtaxat ingenio fulti, ſine Deo cæcum regnandi iter arripiunt. Scire cupis ô Princeps, in quas iſti nocturni ac vagi viatores voragines ſeſe & vniuerſum populum præcipites dedant? Lege ſecundum librum Regum, & videbis fame Iſraëliticũ populum vexatũ propterea quòd Saul fidem à Ioſue Gabaonitis datam violaſſet, nec tantum ſcelus expiatum, niſi ſeptem virorum è familia Saulis in crucem actorum ſupplicio ac nece. *2. Reg. c. 21.*

I nunc, & abiecta fide, fauſtũ tibi regnum pollicere.

Facit iudicium iniuriam patientibus.

Diuina Iuſtitia. QVàm iuſtiſſimo Deo iuſtitia chara ſit, ex eo cognoſce, quòd nihil ille magis frequentiúſque hominibus inculcat, quàm in iuredicundo æquitatem; quódque acerbiſſimas de iniquis Iudicibus ſumat pœnas. *Si verè vtique Iuſtitiam loquimini, recta iudicate filij hominum. Etenim in corde iniquitates operamini, in terra iniuſtitias manus veſtræ concinnant.* Et paulo pòſt: *Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum; molas leonum confringet Dominus. Ad nihilum deuenient tamquam aqua decurrens, intendit arcum ſuum, donec infirmentur. Sicut cera, quæ fluit, auferentur: ſupercecidit ignis, & non viderunt Solem.* *Pſ. 57.*

Principes Iuſtitia ſolam ſpeciem retinent. Vtinam Principes ius redderent ciuibus iniuria affectis. Vtinam iuſtitiæ patrocinium ſuſciperent, ſed, quod dolẽt omnes boni, Carneade acutiores facti, eam & mirificè laudant, & lacerant. Fatentur quidẽ, ea, tamquam fundamento niti ciuium ſalutem, Principibúſque valde

Digitized by Google

Plin. Iun. in Panegy. valde periculoſum eſſe rem optimam aperto odio proſequi. Cæterùm, quia non ignorant *fiſci malam cauſſam numquam eſſe niſi ſub bono Principe*; ab impiiſſimis autem hominibus pluris priuatam vtilitatem quàm honeſtatem faciendam eſſe didicerunt; idcirco veram expreſſámque virtutem, quippe publicam vtilitatem ſpectantem, à ſe faceſſere iubent: ſpeciem dumtaxat retinent. Itaque ſpecioſo Patrisfamilias nomine ſubditos mirum in modum ludificantes leges condunt, primo quidem aſpectu Reip. ſalutares, verû, ſi propiùs & acutiùs inſpicias, eas immanis auaritiæ explendæ deſiderio conditas fuiſſe, reperies. Quàm lepidè Traianus Cæſar olim fiſcum lienem appellauit! Nempe vt lien multum ſuccum, qui ad corporis alimẽtum tranſire deberet, non rarò ad ſeſe trahens, totum corpus macie tabóque conſumit; ſic profectò & fiſco ciuium opibus tumeſcente, vniuerſa Reſp. inſanabili morbo contabeſcit. Quis non videt (proh pudor!) noſtris hiſce temporibus nonnullorum Principum ærarium lienem factum eſſe miſerorum ciuium?

Illi præterea Principes, qui ſordidos homines atque indoctos iudiciis, vel temere præficiunt, vel *(vt comparatione deterrima ſibi gloriam quærant)* vel vt eos tandem tamquam ſpongias exprimant, vel vt ſint, quos populus magis oderit, quàm Principem; qua fronte iuſti Principes dici volunt? Num tu illum bonum nauclerum eſſe diceres, qui furentibus ventis, gubernaculũ imperitis pueris, aut homini temulento regendum traderet? Non, opinor. Annon, ſi nauis demergatur, eam culpa ſocordis ſceleratíve illius naueleri demergi dixeris? Ita quidem. Atqui lites, diſſenſiones, inimicitias, aliáque ſcelera complura non minus in Rep. furere ac debacchari Principes norint, quàm in mari vẽtos, ſibíque

Tac. lib. 1. an.

Digitized by Google

perſuadeant, à ſe vniuerſam Remp. peſſumdari, cum Iudicibus indignis,iuſtitię gubernaculum committunt.

Principes innocentibus aulicis iniuriam patientibus iudiciũ non faciunt.

Sed ad res aulicas veniamus. Quid cauſſæ ſit quærũt aliqui, cur aulici plerumque petulantiores procacioréſque ſint Principibus in deliciis. Audiui ex viris doctis, id ex parum ſano eorumdem Principum iudicio accidere, qui rerum momenta, vt bonos arbitros decet, minime expẽdentes, verborũ lenocinia atque pigmenta animi candorem putant; quorumdam aulicorum vafriciem, prudentiam cenſent; imprudentiam, conſtantiam dicũt; contumelias, fortis animi ſigna. Audiui etiam contumelioſos idcirco à Principibus ferri, imò foueri, quòd eorum pertimeſcant ingenium & ſcommata. Ita enim Romani malos venerabantur Deos ne nocerent, vt à Tullo Febrem dedicatam: & Pallorem atque Pauorem ab Hoſtilio cultos legimus. Sunt præterea qui ſuſpicentur maledicos à Principibus tamquam moloſſos ali ad cuſtodiam domus, vt eorum videlicet latratibus ac morſibus territentur compeſcantúrque liberiores quique (*viles enim ſunt praui ad res prauas* (aiebat Ariſtoteles) *&* *clauus clauo pellitur*. Næ illi acerrimi canes fuerunt, *quos Seianus* (teſte Seneca) *vt ſibi manſuetos, omnibus feros haberet, humano ſanguine paſcebat*. Vtut ſit. Certè hoc genus hominum in aula dominatur. Ecquod innoxio viro vllum effugium tanta moleſtiſſimorum canum turba circumdato? Quæ miſero ſpes, Principe domeſtica iudicia tamquam pueriles ineptias aſpernante? Deus eſt ô aulice, qui facit iudicium iniuriam patienti.

Minut. Fel. in Oct.

Senecæ de conſol. ad Marciã c.22.

Aulicus qui cupiat à maledicorum calumniis liberari omnẽ ſuam ſpem in Deum transferat.

In illum igitur omnia tua ſtudia confer, ſi cupis à maledicorum obtrectationibus liberari. Ab humanis Iudicibus ad Deum, tamquam ad totius æquitatis fontem ſic prouocat Dauid Pſalmo VI. *Exaudi Domine iuſtitiam meam, intende deprecationem meam. Auribus percipe orationem*

meam

meam non in labiis doloſis. De vultu tuo iudicium prodeat; oculi tui videant æquitatem. Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas. A te optimo atque æquiſſimo Iudice ius meum exeat (inquit ille.) Tu cauſſam meam ab omni dolo & fallacia alieniſſimam diſcepta. Tu me placido vultu ab oppugnatoribus meis tuere. Faueant oculi tui, quibus non reſpicis perſonam hominum, faueant, inquam, æquitati meæ. Tu enim haud præcipitem de me ſententiã feres, quippe cordis mei affectus optimè noſti, atque vt aurũ igne, ſic rebus aduerſis innocentiam meam exploraſti. Sic ille; cuius profectò veſtigia ſi ſequaris, quis dubitet, quin

Pſal. 39. obtrectatores tui, qui dicunt tibi, *Euge euge, ferant tandẽ confuſionem ſuam?*

At interim neceſſe eſt, vt qui te in aſylum confugiſſe putaras, in aſylos tamen incidiſti; haud multum eorum conuiciis perturbere. Scito te in aula verſari, quæ conuiciorum eſt ſedes. *In ea* (vt olim aiebat Salluſtius) *ad reprehendenda aliena dicta & facta, ardet omnibus animus.* *Excitatur aulicus ad patientiam.*

Ergo tibi ira omnino coërcenda eſt, *ſiue is par ſit, à quo iniuriam accepiſti, ſiue ſuperior, ſiue inferior.* Auream illam Epicteti Stoici ſententiam, quæ, ſapientum omnium iudicio, vniuerſam Philoſophiam complectitur, Ἀνέχου καὶ Ἀπέχου infixam in corde geras. Ea ſit vitæ tuæ modus ac regula. Suſtine illatas iniurias, abſtine ab omni maledicto.

Inferiorum iniurias in luſum iocúmque vertẽdas viri ſapientes docuerunt. Si aliquis igitur è fæce plebis in te maledictum vllum contorſerit, prudentiſſimè facies, ſi riſeris, memineríſque ab Aquila nequaquam captari muſcas, nec lunam latratu canum territari, ſuúmque curſum intermittere. *Siue ab inferioribus iniuria afficiatur.*

Seneca lib. de ira, c. 35. *Potentiorum iniuriæ* (docet Seneca vir aulicarum rerum peritiſſi *Siue à potentioribus.*

peritiſſimus) *hilari vultu, non patienter tantùm ferendæ ſunt. Facient iterum, ſi ſe feciſſe crediderint. Hoc habent peſſimum animi magna fortuna inſolentes, quos læſerunt, oderunt. Notiſſima eſt vox eius, qui in cultu Regum conſenuerat. Cùm illum quidam interrogaret, quomodo rariſſimam rem in aula conſecutus eſſet, ſenectutem*, INIVRIAS, inquit, FERENDO, ET GRATIAS AGENDO. *Sæpe adeò iniuriā vindicare non expedit, vt ne fateri quidem expediat. C. Cæſar Paſtoris ſplendidi equitis Romani filium, cùm in cuſtodia habuiſſet, mundiciis eius & cultioribus capillis offenſus, rogante patre, vt ſalutem ſibi filij concederet, quaſi de ſupplicio eius admonitus, duci protinus iuſſit; ne tamē omnia inhumanè faceret aduersùs patrem, ad cœnam illum inuitauit eodem die. Venit Paſtor, nihil vultu exprobrante. Propinauit illi Cæſar heminam, & poſuit illi cuſtodem. Perdurauit miſer, non aliter, quàm ſi filij ſanguinem biberet. Vnguentum & coronas miſit, & obſeruare iuſſit, an ſumeret; ſumpſit eo die, quo filium extulerat, imò quo non extulerat. Iacebat conuiua centeſimus, & potiones vix honeſtas natalibus liberorū podagricus ſenex hauriebat, cùm interim non lachrymas emiſit, nec dolorem aliquo ſigno erumpere paſſus eſt. Cœnauit tamquam pro filio exoraſſet.*

Hoc vnum Paſtoris exemplum tibi ſit inſtar omniū. Ex eo diſce, quàm priuatis hominibus à ſuo Principe laceſſitis patientia neceſſaria ſit. *Neceſſaria eſt iſta doloris refrænatio* (aiebat idem auctor) *vtique hoc ſortitis vitæ genus, & ad regiam adhibitis menſam. Sic eſtur apud illos, ſic bibitur, ſic reſpondetur; funeribus ſuis arridendum eſt.* Seneca lib. 3. de ira. c. 15. Et quidem quid faciat miſer aulicus? Exprobrétne Principi ſuo ſæuitiam? Quid inde (obſecro) vtilitatis? *Omnis indignatio in tormentum ſui proficit, & imperia grauiora ſentit, quo contumaciùs patitur. Sic laqueos fera dum iactat, adſtringit, ſic aues viſcum dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt. Nullum eſt tam arctum iugum, quod non minus lædat ducentem, quàm repugnantem. Vnum eſt leuamentum malorum ingentium, pati, & neceſſita* Seneca lib. 3. de ira.

Digitized by Google

neceſſitatibus ſuis obſequi.

Siue ab æqualibus.

Sed ad æqualium iniurias, ſi lubet, tranſeamus. Quid agat, inquis, aulicus, à pare laceſſitus? Num eorum turbida conſilia ſequatur, qui canino more mordentem remordent, ac non alium ſuæ dignitatis patronum ac Iudicem norunt, quàm conuicium?

Seneca lib. 2. de Ira, c. 32. — *Non licet regerere conuicium.* — Tertul. lib. de Patien. — Lactan. de vero cultu, c. 18.

Minimè verò: nam, vt ſapienter aiebat Seneca, *qui dolorem regerit, tantum excuſatius peccat.* Tertullianus verò, *Quid enim refert*, inquit, *inter prouocantem & prouocatum, niſi quòd ille prior in maleficio deprehenditur, at ille poſterior? Tamen vterque læſi hominis Domino reus eſt.* Et Lactantius: *Qui enim referre iniuriam nititur, eum ipſum, à quo læſus eſt, geſtit imitari. Ita qui malum imitatur, bonus eſſe nullo pacto poteſt.*

Deo cura vltionis relinquenda eſt. — Lactan. de vero cultu. — Pſ. 26. — Pſal. 49.

Quid, quod *mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus*? Habes Deum, cuius gladius retundi, cuius ictus eludi nequit, cuius iudiciũ nemo effugere poteſt, vltorẽ; *Sedet enim maximus & æquiſſimus Iudex ſpeculator & teſtis omnium* (ait Lactantius) *hunc homini præferat, hunc malit de ſua cauſſa pronunciare, cuius ſententiam nemo effugere poteſt, nec defenſione cuiuſquam, nec gratia.* Sanè cùm diuina vltio ſit ineuitabilis, quidni illatas iniurias tantiſper fers, dum tibi faciat Deus *iudicium iniuriam patienti*? Cunctari tibi videtur? *Expecta Dominum; viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.* Morari quidem videtur ac tardus eſſe ad opitulandum iniuria affectis. Sed non ita eſt. Hominum eſt iſta opinio, quorum vt anguſta mẽs eſt, ita diuinorum conſiliorum ignara. Etenim diuina mẽs, cùm vno aſpectu cuncta intueatur, & quid cuique quóve tempore cõueniat, optimè intelligat, opportunè profectò facit quicquid facit. Silet Deus: tu importunis clamoribus & querimoniis loca omnia cõplebis? Erras profectò ſi perpetuum eius putas futurũ ſilentium. Audi Dauidem, *Deus manifeſtè veniet; Deus noſter, & non ſilebit.*

Audi Iſaiam. *Dominus ſicut fortis egredietur, ſicut vir prælia-* Iſa. 42.
tor ſuſcitabit zelum, vociferabitur, & clamabit, ſuper inimicos ſuos confortabitur. Tacui ſemper, ſilui, patiens fui, ſicut parturiẽs loquar, diſſipabo, & abſorbebo ſimul.

Non dãnatur iuſta defenſio ſed ei præfertur ſæpius graue ſilentium.

Ergóne (inquis) os meum ſemper comprimam? Ergóne aditus omnis ad defenſionem, quam natura hominum animis ingenuit, mihi præcluditur? Minimè. Scio pro dignitate tuenda & fortunarum & capitis periculum generoſos aliquos ſubiiſſe; ſit tamen opportuna, ſit ſapiens, ſit demum Chriſtiana defenſio tua. Et ſanctos viros legimus vt quorumdam effrænatam impudentiam comprimerent, maledicentiámque debacchantem coërcerent, atque vt veritatem ſuo loco reſtituerent, ſcimus tam ſeipſos, quàm alios maximis eloquentiæ viribus ab hominum calumniis vindicaſſe.

Præſtabit tamen ſæpius, meo quidem iudicio, vt iniuriis laceſſitus ad diuinum Numen confugias, Dauidíſque exemplo obmuteſcas interdum, quàm vt pluribus verbis defenſionem tuam exaggeres. *Poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator aduerſum me. Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis, & dolor meus renouatus eſt.* Obmutui planè (inquit Dauid) atque abſtinui non ſolùm ab iniuriis, ſed etiam à bonis, ne & illa in calumniam raperent obtrectatores mei, quamuis ea taciturnitate vehementer angerer, dolórque meus recrudeſceret. Nimirum conſciẽtia virtuti ſatis amplum theatrum eſt, ſatis diſertus patronus. *Iuſti* (docet Ambroſius) *eſt diſſimulare, nihil loqui, tenere bonum fructum conſcientiæ, plus committere bonorum iudicio, quàm criminantis inſolentiæ, contentum eſſe grauitate morum ſuorum; hoc eſt enim ſilere à bonis, quia bene ſibi conſcius falſis non debet moueri, nec æſtimare plus ponderis in alieno eſſe conuicio, quàm in ſuo teſtimonio.* Hęc Ambroſius. Equidem nonnulli ſapientes viri non alio defenſore, ac patrono,

Pſal. 38.

Ambroſ. lib. 1. off. cap. 5.

patrono, quàm conſtanti ſilentio, dignitatem ſuam ab obtrectatorum calumniis egregiè vindicarunt: opportuno namque grauíque ſilentio diſrumpuntur inuidi, contumelioſíque, multo autem verborum apparatu anſa ſæpiſſime maleuolis præbetur nouæ reprehenſionis, ac demum acrioris obtrectationis. Sic iniuria ex iniuria nectitur; ſic magis exulcerantur animi, quos taciturnitas temporíſque diuturnitas ſanauiſſet.

Addam & conſilium Tertulliani, quod ſi in hac via, quam ſalebroſam putas, accipias ac ſequaris, honeſtam ſanè tui defenſionem, atque adeò licitæ vltionis rationē didiceris. *Omnis iniuria* (inquit ille) *ſeu lingua, ſeu manu incuſſa, cùm patientiam offenderit, eodem exitu diſpungetur, quo telum aliquod in petra conſtantiſſimæ duritiæ libratum & obtuſum. Concidet enim ibidem irrita opera & infructuoſa, & nonnumquam repercuſſum in eum, qui emiſit, reciproco impetu ſæuiet. Nempe idcirco quis te lædit, vt doleas, quia fructus lædentis in dolore læſi eſt. Ergo cùm fructum eius euerteris non dolendo, ipſe doleat neceſſe eſt amiſſione fructus ſui. Tunc non modò illæſus ibis, quod etiam ſolum tibi ſufficit, ſed inſuper aduerſarij tui & fruſtratione oblectatus & doloris defenſus.* Vidéſne quo ictu inuidorum maledicentia ab æquanimitate percellitur? vidéſne illum manū ſuam perdere, qui verberat lapidem?

Sese is defēdit ac licitè vlciſcitur, qui iniuria laceſſitur, ſi patiens fuerit.

Tertul. lib. de patien.

Atenim ſpecioſè quidem iſta dicuntur, quàm autem verè neſcio. An me ſtipitem eſſe putat Tertullianus? Quid mihi Stoicorum iſtam ἀπάθειαν obtrudit.

Bono ſis animo, mi aulice. Non ſtipitem eſſe te vult Tertullianus, ſed virum, qui ſciat dolorem diſſimulare, ac velit belluinos motus comprimere, ac rationi ſubiicere. Duram iſtam Stoicorum indolentiā, ne ſomniat quidem. Fructum ex iſta doloris refrænatione tantùm exiſtentem tibi oſtendit; fruere illo ſi lubet. Certè ſi

Poſſibilis eſt patientia, nec valde difficilis.

puerorum proteruas manus, ſi ægri rabiem, ſi furioſa phrenetici verba æquo animo toleramus, quòd neſcire videantur quod faciunt, quid cauſſæ eſt, cur maledicorum conuicia tam grauiter feramus? *Quid intereſt* (diceret Seneca) *quo quiſque vitio fiat imprudens? Imprudentia par in omnibus patrocinium eſt. Quem animum nos aduerſus pueros habemus, hunc ſapiens aduerſus omnes, quibus etiam poſt iuuentam canóſque pueriltas eſt.* Abſtineo noſtrorum exemplis, quibus non ſolùm facile fuit, ſed etiam iocundum perferre iniurias. Quis dicat grauem iniuriam fuiſſe Philippo Macedonum Regi (hunc enim vt Chriſtianos magis pudeat produco) qui palàm fatebatur, maledicorum conuiciis factum eſſe, vt melior euaſiſſet, dum operam daret, vt ipſi mendacij conuincerentur? Nempe vir prudens contumeliarum patientiam, cùm ingens ad regni tutelam, inſtrumentum eſſe ſciret, non acerbitatem conuicij, ſed fructum vtilitatémque ſpectabat. O virum Alexandro filio hoc præſtantiorem, quòd non populos tantùm, ſed affectus quoque ſuos ſtrenuiſſimè perdomuit. Quis iam dicat: Graue eſt, difficile eſt iniurias ferre? Adeóne es delicatus aulice Chriſtiane, vt ab homine Ethnico animi fortitudine ac robore te vinci patiaris: Stoicorúmque ἀπάθειαν ac ſtuporem obtrudi tibi putes, cùm ad patientiam inuitaris?

Senec. lib. 3. de ira. Idē lib. in ſapiētem non cadere iniu. cap 12.

Glorioſum ac vtiliſſimum inuidorum maledicentiã perferre.

Eſto tamen, grauiſſimum ac difficillimum ſit. Num vetuſti illius prouerbij te cœpit obliuio, δύσκολα τὰ καλά? Quàm glorioſum eſt obuias quaſque intercidere difficultates, quàm vtile? Planè ſi illi, qui inuidorum latratus ac morſus tolerare nolunt, atque ad omnes punctiuncu las concutiuntur, conſiderarent ex inuidentia fructus perſæpe vberrimos exiſtere, eam profectò moderatiùs ferrent: inuidentia enim tametſi virtutem hoſtiliter perſequitur, cum virtute tamen naſcitur, cum virtute

Digitized by Google

virtute habet incrementa, virtutis vmbra meritò nominatur. Quare Socrates tum ſe apud homines aliquo in pretio eſſe cenſuit cùm alienam ſubiit inuidiam. *Rutilij innocentia ac virtus lateret niſi accepiſſet iniuriam* (inquit Seneca) *dum violatur effulſit.* Si præterea æternam illam mercedem (quod caput eſt) ſpectarent, quam illis Deus promiſit qui in Ieſu Chriſti gratiam maledicta æquo animo tolerant, gauderent profectò Apoſtolos imitati (*qui ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*) tantum abeſt, vt dolorem vllum perciperent.

Senec. ep. 79.

Quid igitur hominem toruis oculis fortunam tuam intuentem, téque impuriſſimo ore conuiciantem verſaris, diriſque deuoues? Erit erit ille (modò æquam memineris rebus in arduis ſeruare mentem) virtutis tuæ teſtis inſignis ac præco. Erit tibi (vno verbo dicam) inſtar gradus per quem ad æternam gloriam adſcendes.

Porrò, vt omnis aditus iniuriis occludatur ab eorum procaci ingenio vt abhorreas maximè cupio, qui *vrbanitatē neſciunt continere, nec periculoſis abſtinent ſalibus*, ſed eligunt potius (ſi detur optio) amici, quàm dicterij alicuius iacturam facere: ſcommata enim iniuriarum obtrectationúmque ſemina eſſe illi optimè norūt, qui diu in aula verſati ſunt. Quoties comœdia in tragœdiam vertitur? quoties à verbis venitur à verbera, & riſum fletus conſequitur? Fuere ſanè olim, ac ſunt etiam fortaſſe, qui non ſolùm patienter tolerant ferúntque ſcommata, ſed ea libenter etiam audiunt; at ſcito plerumque valde periculoſum eſſe vellicare leonem. *Neronis odium* (legis apud Cornelium) *aduersùs Veſtinum ex intima ſodalitate cœperat, dum hic ignauiam Principis penitus cognitam deſpicit, ille ferociam amici metuit, ſæpe aſperis facetiis illuſus, quæ vbi multum ex vero traxere acrem ſui memoriam relinquunt.*

Auditus ab aſperis facetiis abſtinent.

Seneca lib. de tranq. animi.

Tac. lib. 15.

Digitized by Google

Igitur (ſubiicit paulo pôſt) *non crimine, non accuſatore exiſtente, quia ſpeciem iudicij induere non poterat, ad vim dominationis converſus, Gerelanum Tribunum cum cohorte militũ immittit, iubet præuenire conatus Conſulis.* Quid te pluribus moror? *Miſero abſcinduntur venæ, vigens adhuc balneo infertur, calida aqua verſatur, nulla edita voce, qua ſemet miſeraretur.* At ô Veſtine quanto prudentiùs feciſſes, ſi cùm ſecunda fortuna vtebare, tacere nouiſſes.

Iuſtitia Chriſtiano Principi cõmendatur.

Sed ad te iam tandem mea ſeſe ô Princeps conuertit oratio, qui reuera, non autẽ nomine tenus Princeps es. Equidẽ cùm nihil difficilius ſit, quàm bene imperare, vt olim Diocletian⁹ dictitabat, nihilq́; ſit quod magis difficultates minuat, quàm Iuſtitia, operæpretiũ me facturũ puto, ſi de eximia hac virtute, quę regnorũ habenas moderatur, non nihil quod è re tua publicáque ſit, attigero.

Quanta & Regum, & legum iuſtitia eſſe debeat declaratur.

Iuſtitiæ (quæ quidem, vt noſti, eſt conſtans perpetuáque voluntas ius ſui vnicuique tribuens) fruendæ cauſſa Reges olim inſigni aliqua virtute præcellentes conſtituti fuere: nam initio multitudo cùm à locupletioribus opprimeretur, ad vnum aliquẽ ſibi confugiendũ putauit, qui ſummos cum infimis pari iure ſociaret, retineretque. Eadẽ prorſus origo legũ, quas rectè mutũ magiſtratũ, normámque ciuitatis dixere maiores noſtri.

Quanta igitur & leges & Reges integritas ac ſanctitas decet, quorum intereſt ſtatuere inter homines æquitatem, ac ſerere bonos mores? Vide itaque Chriſtiane Princeps, ne ita viuas, vt malorum opificum (quos non extruere, ſed deſtruere dixeris rectiùs), vel imperitiam, vel ſocordiam, vel prauitatem imitari videaris. Vide ne obliqua ac tortuoſa Machiauellicarum legum norma vnquam vtare, ſed recta & Chriſtiana ſanctiſſimarum conſtitutionum. Hæ ſanciant, quid iuſtum iniuſtúmve ſit, quid agendum quídve fugiendum præcipiant. Lepidè

Digitized by Google

pide profectò Lucretius,

Lucret. *Denique vt in fabrica ſi praua eſt regula prima,*
Normaque ſi fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua ſi ex parte claudicat hilum,
Omnia mendoſè fieri atque obſtipa neceſſum eſt.

Ita prorſus eſt. Quàm eorum Principum, qui Machiauellica vtuntur norma, vniuerſum opus mendoſum ac diſtortum ſit, ſciunt viri prudentes ac pij, dicerent quoque illi ipſi Principes, quibus potior eſt vtilitas, quàm honeſtas, *ſi tormenta pectoris ſuáſque ipſi pœnas fateri vellent.* Tac. lib. 5. an.

Quamobrem, ſi vitium aliquod in legibus, quas tu aut maiores tui tuliſtis, deprehenderis, eas vel corrigere, vel reſcindere ne te pudeat. Malus pudor eſt, qui tibi decus & vniuerſæ ciuitati perniciem affert. *Silex tua* (finge tecum Tertullianum ſic loqui) *errauit: puto ab homine concepta eſt, neque enim de cœlo ruit. Miramini hominem aut errare potuiſſe in lege condenda, aut reſipuiſſe in reprobanda? Nónne & ipſius Lycurgi leges à Lacedæmoniis emendatæ tantum auctori ſuo doloris incuſſerunt, vt in receſſu inedia de ſemetipſo iudicarit? Nónne & vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis totam illam veterem & ſqualentem ſyluam legum nouis principalium reſcriptorum & edictorum ſecuribus truncatis & cæditis?* Tertul. Apol. c. 4.

Præterea Iudices, hoc eſt, Iuſtitiæ Antiſtites, legíſque adminiſtros, eos viros conſtituito, qui bene regula vti ſciant, ac velint, qui videlicet quid factum ſit iuſtè, vel iniuſtè, ſiue ex lege, ſiue contra legem perſpiciant, atque ex legis præſcripto ſententiam ferant; qui demum non ſolùm crimine, ſed etiam ſuſpicione criminis vacent. Certè cùm iudiciis præficiuntur homines auari & rudes, qui magiſtratus capeſſentes *ad auream ſe meſſem ire* iactāt, vt olim Demades ille dictitabat, & qui leges aranearum telam putantes, diuites ac præpotentes tametſi ſontes *Viri iuſti iudiciis præficiendi ſunt.*

impune

Digitized by Google

impune abire ſinunt, inſonteſq; pauperes quippe ac debiles vel indicta cauſſa condemnant, & qui demum per inſcitiam iura omnia conturbant, atque permiſcent, ipſimet Principes iniuriarum omnium atque diſſenſionum ſunt origo ac ſeminarium: veriſſimum namque illud Senecæ Tragici,

Qui non vetat peccare cùm poſſit, iubet. Seneca Med.

Princeps ad tribunalia ſæpe deſcendat.

Enimuero cùm ſæpe boni, cauti, apti, venditi fuerint à ſceleratis Iudicibus Imperatores, ipſemet ô Princeps ad tribunalia deſcendere interdum ne graueris; ipſemet miſeris hominibus aures præbeto: nam *inauditi atque indefenſi tamquam innocentes pereunt.* Talem (paucis dicam) priuatis Principem præſta, qualem optares ipſe priuatus. Et olim & noſtra hac tempeſtate maximi Principes in forum deſcendere, cauſſaſque ipſimet cognoſcere haud ſibi rubori eſſe duxerũt, nullus enim ſic aliena curat, vt ſua, atque, *Vt oculo domini* (dicebat Perſes quidam apud Ariſtotelem) *equus pingueſcit, ſic ſanè coram oculis Principis ius viget.* Vt optimum ſtercoris genus (Lybis ille apud eumdem aiebat) ſunt VESTIGIA DOMINI; ſic veſtigia Principis Reip. ſalus. Hi tibi ſedulò imitandi ſunt: nam ij, qui morum facilitatem affabilitatémque imperij labem ac nebulam exiſtimantes, miſeris hominibus, quos facile poſſent è publicorũ latronum vnguibus eripere, ad ſuas aures aditũ præcludunt, iuſti nequaquam dicendi ſunt. Boni Principes, ciuium non ſeruitutem ſibi traditam eſſe, ſed tutelam, ac ſe non ocio ac deliciis, ſed aſſiduis laboribus pro Rep. ſubeundis natos eſſe, intelligentes, numquam non ſui (cùm res ita poſtulat) copiam faciunt. De Tyberio hæc tuus Cornelius. *Nec Patrũ cognitionibus ſatiatus, iudiciis adſidebat in cornu tribunalis, ne Prætorem curuli depelleret, multáque eo coram aduersùs ambitum & potentium preces conſtituta.*

Tac. lib. 1. hiſt.

Ariſt. in O. conom.

Tac. lib. 1. an.

Digitized by Google

Tac. lib. 4. an.

tuta. Et alibi. *At Tyberius nihil intermiſſa rerum cura, negotia pro ſolatus accipiens, ius ciuium, preces ſociorum tractabat.* Hac morum facilitate Auguſtus Cæſar; hac Traianus, hac Hadrianus, hac Alexander Seuerus, hac Philippus Macedo, hac Cyrus tantopere olim commendati. Hac denique ad miraculum præcelluit veræ ſapientiæ Antiſtes Salomon, ad cuius tribunal vel abiectiſſimis fœminis ac Reip. quiſquiliis, hoc eſt, meretricibus patuit aditus, quas quidem patientia ſingulari (vt Ioſephus perhibet) tacitus audiuit plura pro ſe clamantes.

Pſal. 71.

Nempe ille eſt Salomon, de quo ſic Dauid vaticinatus fuerat, *Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperũ, &* HVMILIABIT CALVMNIATOREM. Et Iudex nimirum & Patronus erit pauperibus. *Humiliabit calumniatorem*, eum ſcilicet qui per vim & fraudem pauperi inſidias apud Iudicem ſtruit, *συκοφάντας* Græcè ſcriptũ eſt, quos forenſium rabularum furioſum rapacémque gregem lepidè ex recentioribus quidam interpretatur. O vtinam noſtri Principes optimum hoc Salomonis conſilium ſequerentur. Sed ô ſæculum infelix! Ergóne miſera vidua rabularũ prius truculenta rabie laceranda eſt, quàm à ſuo Principe audiatur? Coërcenda coërcenda eſt hæc rabularum effrænata licentia, quorum canino ſtudio (quod olim à Columella ſcitè *conceſſum latrociniũ* dicebatur) *inimicitiæ, accuſationes, odia, & iniuriæ fouētur*, quorum profectò rabies eo crudelior, quo Iuſtitiæ perſona obtecta, impune volitat, fallítque incautos.

Pineda de rebus Salom.

Vide Platonẽ dial. 12. de leg. Colum. lib. 1. Tac. lib. 11. an.

Rabularum licentia coërcenda.

At quæ mens (ais) quę latera, quæ vires ei Principi ſufficiant, qui totos dies audiendo ſubditos conſumat? quid? vt ſufficiant; certè Tyberianum illud haudquaquam abiiciendum eſt, *Maieſtati maior è longinquo reuerentia.* Et Liuianum illud quanti faciendum eſt, *Continuos aſpectus minus verẽdos magnos homines ipſa ſatietate facit!*

Quæritur, an qualeſcumq; Princeps aſſiduè audire debeat.

Tac. lib. 1. an.

L Optimum

Optimum ſapientiſſimúmque cõſilium à Iethro Moyſi datum ſequimur, dicimúſque eum Principem qui ſolus iuriſdicundi onus ſuſtinere velit, ſtulto labore conſumi; ſatius proinde eſſe, vt grauiora tractemus ipſi, minora cæteris Iudicibus, *ſapientibus tamen & timentibus Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam*, cõmittamus. *Non Ædilis, aut Prætoris, aut Conſulis partes ſuſtineo* (aiebat apud Cornelium Tyberius) *maius aliquid & excelſius à Principe poſtulatur.* Exod. 18. Tac. lib. 3. an.

Reſpondetur grauiora tractanda eſſe Principi, leuiora cæteris Iudicibus cõmittenda.

Optimè. Et nos conſilio iſti libenter aſſentimur; quis enim eſt Princeps, capite tam ſiliceo, qui ſubditorum omnibus cauſſis aures accommodet? aut quis eſt maieſtati ſuæ adeò infenſus, vt quamuis laborum omnium patientiſſimum parémque tanto ſe oneri ſentiat, totos tamen dies tribunali tamquam piſtrino affixus ſedeat? Eſt planè modus in rebus. Sapiẽter viri docti Principem monent, vt inſtar Solis & imbris lateat aliquando, ac ſemet aliquando in conſpectum det; ſic enim & valetudini, & maieſtati, & publicæ demum vtilitati egregiè conſulitur.

Quæ ſint cauſſæ grauiores explicatur.

Sed quæ tandem, rogo, maiora iſta & grauiora ſunt, quæ ipſi potiſſimum Principi tractanda ſunt? Num ea, quæ ad Maieſtatis crimen; num ea, quæ ad virorum dumtaxat nobilium ac diuitum cauſſas pertinent? Nequaquam mea quidem ſententia, ſed ea grauiora puto, quæ cæteri Iudices, vix vmquam lotis (quod aiunt) manibus attingere tractareve conſueſcunt. Cauſſæ itaque viduarum, ac tenuiorum hominum, quas minores Iudices vel deſpiciunt, vel ſi diſpiciunt, auaritiæ plerumque crimine non vacant, grauiſſimæ, mi Princeps, cenſendæ ſunt, & vero Principe dignæ. Itaque quemadmodum ſolem ſub maturitatem frugum valde neceſſarium eſſe putamus, imbrémque tum vehementer optamus, cùm tellus

Digitized by Google

tellus exuſta eſt, ſic valde cupimus, vt Principes numquam non miſeris hominibus (quorum incremẽtis ſcelerati inuident, quorúmve inopia ab alio nullo, quàm à ſuo Principe ſubleuari poteſt) patientiſſimas aures præbeant. Quanta hinc Reip. tuæ vbertas exiſtet! Quàm diuino Numini charus eris! Audi diuinum oraculum.

Eccl. 4. *In iudicando eſto pupillis miſericors vt pater, & pro viro matri illorum; & eris tu velut filius Altiſſimi obediens, & miſerebitur tui magis, quàm mater.*

Princeps ne delatoribus facilem adi tum præbeat.

Quia tamen ſunt nonnulli Principes, qui Domitiani Imperatoris muſcas præteruolitantes captare conſueſcentis, ſtylóque præacuto configentis, væſaniam imitati, delationibus quibuſcumque faciles aures præbent; hac vna re ſalutem Principis iuſtitiámque contineri, exiſtimantes; ſcito Chriſtiane Princeps, non minus Rebuſpublicis exitioſos eſſe, qui nihil omnino audire ac gerere velint, quàm qui delatoribus quibuſcumque aures accommodant. Sunt ſunt ô Princeps veteratores permulti, qui ſuis affectibus & commodis impulſi tamquam feræ vinculis laxatæ apud illos Principes, qui libenter delatoribus aures præbent, per ſummam iniuriam innocentes opprimere geſtiunt. Sunt, qui flectendorum ac permiſcendorum Principum artem ſe tenere iactant, gloriantúrque à ſe fortiſſima quæque pectora perrumpi, ac expugnari. Quanta olim Romani Hiſponis ſiue vafricies fuit, ſiue imprudentia, qui Granium Marcellum Prætorem Bythiniæ inſimulabat ſiniſtros

Tac. lib. 1. an. de Tyberio habuiſſe ſermones? *Ineuitabile crimen* (ait Cornelius) *cùm ex moribus Principis fœdiſſima quæque deligeret obiectarétque reo: nam quia vera erant, etiam dicta credebantur.* Et Vitellius apud Claudium Imperatorem, *nomine cenſoris ſeruiles fallacias obtegens ingruentiúmque dominationum prouiſor, quo gratiam Agrippinæ pararet,* qualem tragœ-

diam in Sillanum, cui Octauiam filiam Claudius deſponderat, excitauit? *Et præbebat aures Cæſar* (refert Tacitus) *accipiendis aduerſum generum ſuſpicionibus charitate filiæ promptior. At Sillanus inſidiarum neſcius, ac forte eo anno Prætor, repentè per edictum Vitellij ordine ſenatorio mouetur, quamquam lectò pridem Senatu, luſtróque condito, ſimul affinitatem Claudius diremit.* Quæſo te, Tigellini quoque artes, quibus Nero circumuentus fuit, obſeruare ne pigeat. *Validiórque in dies Tigellinus, & malas artes, quibus ſolus pollebat, gratiores ratus, ſi Principem ſocietate ſcelerũ obſtringeret,* METVS EIVS RIMATVR, *compertóque Plautum & Syllã maximè timeri; Plautum in Aſiam, Syllam in Galliam Narbonenſem nuper amotos, nobilitatem eorum & propinquos huic Orientis, illi Germaniæ exercitus commemorat.* Et paulo pòſt. *Syllam inopem, vnde præcipuam audaciam, & ſimulatorẽ ſegnitiæ, dum temeritati locum reperiret: Plautum magnis opibus ne fingere quidem cupidinem ocij, ſed veterum Romanorũ incitamenta præferre, aſſumpta etiam Stoicorum arrogantia ſectáq;, quæ turbidos & negociorum appetentes faciat. Nec vltrà mora. Sylla ſexto die peruectis Maſſiliam percuſſoribus ante metũ & rumorem interficitur, cùm epulandi cauſſa diſcumberet.* Plautus repertus per medium diei nudus exercitando corpori trucidatur. Ob eiuſdem Tigellini falſas criminationes C. Petronius venas incidit. *Hic inter paucos familiarium Neroni aſſumptus eſt* (inquit Cornelius) *elegantiæ arbiter, dum nihil amœnum & molle affluentia putat, niſi quod ei Petronius approbauiſſet. Vnde inuidia Tigellini quaſi aduersùs æmulum & ſcientia voluptatem potiorem. Ergo crudelitatem Principis, cui cæteræ libidines cedebant, aggreditur; amicitiam Sceuini Petronio obiectans corrupto ad indicium ſeruo, ademptáque defenſione, & maiore parte familiæ in vincla rapta.*

Tac. lib. 12.

Tac. lib. 14. an.

Tac. lib. 16. an.

Eiuſmodi accuſatores ſi ſuas tibi machinas admoueant ô Princeps, quod conſilium capies? Num eorum

inſano

Digitized by Google

inſano furori nudum pectus obiicies? Atqui ne Achilles quidem, quamquam, vt Poëtæ fabulantur, inuulnerabilis in eiuſmodi certamen inermis ac nudus deſcenderit. Quid igitur?

Certè diuinus Plato in lib. de Rep. Magiſtratū optat, qui ad rumores populares obtuſas aures habeat, ſentítque non facilem aditum delatoribus eſſe præbendum. Et quidem rectè. Intelligebat nimirum vir prudens nimia delationum quarumcumque audiendarum facilitate ingentē campū calumniis aperiri; calumniis autem vrbes funditus euerti, filios parentibus, fratrem fratri inſidiari, amicum ab amico diuelli; innocentiam exterminari, ac demum omnia miſceri, ac perturbari. Quantum malorum lex Papia (qua præmiis delatores

Tac. lib. 3. an. inducebantur) pepererit, ex tuo Tacito diſcis. *Multitudo* (inquit ille) *periclitantium glìſcebat, cùm omnis domus delatorum interpretationibus ſubuerteretur, vtque antehac flagitiis ita tunc legibus laborabatur.* Et infrà. *Multorum exciſi ſtatus & terror omnibus intentabatur.* Sed & quanta calumniarum ſeges delatores ſint, egregiè vt ſolet Plinius iunior docet

Plinius Iunior in Paneg. in Panegyrico. *Vidimus* (ait) *delatorum iudicium, quaſi graſſatorum, quaſi latronum. Non ſolitudinem illi, non iter, ſed templum, ſed forum inſederant, nulla iam teſtamenta ſecura, nullus ſtatus certus, non orbitas, non liberi proderant. Auferat hoc ma-*

Tac. lib. 4. an. *lum Principum auaritia.* Hæc ille. Tyberij Principatus, (vt de hoc vno verba faciam) in quo delatores *genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem* (vtor verbis Cornelij) *numquam ſatis coërcitum per præmia eliciebantur*; & in quo *vt quis diſtrictior accuſator, velut ſacroſanctus erat*, quas turbas det iſta excipiendarum accuſationum facilitas ac libido, apertè demonſtrat. *Sub Tyberio Cæſare fuit accuſandi frequens ac pæne publica rabies, quæ omni ciuili bello grauiùs togatam ciuitatem confecit.*

Digitized by Google

Excipiebatur ebriorum ſermo, ſimplicitas iocantium (refert Seneca.) *Nihil erat tutum. Omnis ſæuiendi placebat occaſio.* Seneca lib. 3. de ben.

Platonem itaque ſi audias ô Princeps, non aliis profectò armis munitus, quàm ſurditate, delatorum inſidias effugies.

Queritur an delatores omnes ab auribus Principis arcendi ſint.

Ergóne (inquis) à conſpectu Principis arcêdi ſunt delatores omnes? Qua tandem ratione latus à domeſticis hoſtibus muniam? Quî ſeditioſorum hominum audaciam comprimam? Quænam in Rep. Iuſtitiæ ſedes relinquetur ſi delatoribus, hoc eſt, IVRIVM CVSTODIBVS, eiectis quid in ciuitate fiat planè ignorauero? Tyberius apud Tac. lib. 4. an.

Non omnes delationes arcedas eſſe, reſpondetur, ſed earũ anxium aucupium, ſed & eos delatores arcendos qui bonos viros caluniantur.

Audi Princeps. Plato & cæteri, qui rectè philoſophati ſunt, accuſationes haud omnino reiiciunt, ſed earum anxium aucupium; ſciebant enim eo, vt dictum eſt, calumniis anſam præberi, quibus vniuerſa ciuitas grauius, quàm ciuili bello conficitur. Sed nec eos delatores oderunt expellúntque, qui publicæ ſalutis cauſſa ſceleratos deferunt, ſed eos, qui, vt ſuis prauis affectibus inſeruiant, miris præſtigiis Principum animos capiunt, & innocentes viros criminantur calumniantúrque; attamen, quia frons, oculi, vultus perſæpe mentiuntur, oratio verò ſæpiſſime; difficiléque admodum eſt fucum inſidiáſque artificiosè compoſitas olfacere ac deprehêdere, monendos Principes eſſe putant, vt cautè delatores audiant: vanam denique omnem credulitatẽ explodunt; & quidem meritò, nam *quis innocens eſſe potuit, ſi accuſaſſe ſufficiat.* Ammia. Marc. 18.

Cùm difficillimum ſit delatorum inſidias deprehendere vana omnis credulitas damnatur.

Simulac itaque delator ſeſe tibi aliquis obtulerit, (qualiſcumque ille ſit) vires tuas collige, inſidioſum aliquid ſuſpicare, calculum ſuſpende, alterámque aurem clauſã reo referua. Magna profectò laude digni Solon & Draco, qui cùm animaduerterent, nullam ex omnibus grauiorẽ iniuriam eſſe, quàm indicta cauſſa quẽquam damnare;

damnare; Athenienſem Senatum iureiurando obſtrinxerunt, vt pari benignitate gratiáque tam reum, quàm actorem tantiſper audiret, dum alterius cauſſam honeſtiorem cognoſceret. Sacrum exemplum quæris, & noſtris hiſce commentariis valde opportunum? Non longè abieris. Ecce tibi Deus Opt. Max. qui non contentus fœdiſſimorum ſceleratiſſimorúmque illorum homi-

Gen. 18. num clamore, *Deſcendam* (ait) *& videbo vtrùm clamorem,*

2. q. 1. c. Deus omnipotens. *qui venit ad me, opere compleuerint, an non eſt ita; vt ſciam. Certè non ignorabat Deus ſcelera Sodomitarum, cuius oculis omnia nuda & aperta ſunt, ſed ait: Deſcendam, vt nobis exemplum daret, ne præcipites in diſcutiendis iudicandiſque negociis eſſemus, vtque audita relatáque acriter examinemus.*

Lucian. de non temere credẽdo calũniæ. At inquit quiſpiam (non mea, ſed Lucianica interſero, quæ quidem aula digniſſimum exiſtimo) *ánnon eſt dignus fide nonnumquam vir, cæterùm bonis moribus, & recto ciuilique iudicio præditus, qui alterum accuſat? non licèt tali auſcultemus, modò reliquis ſibi malis artibus temperarit?* *Quæritur, an ſit habenda fides delatori, qui aliàs vir bonus habeatur.*

Age inquam, éſtne alius Ariſtide iuſtior? Ille tamen aduerſatus Themiſtocli, contra eum populi animos exacuit inuidia gloriæ popularis, vt aiunt, vellicatus? Aliàs vir bonus Ariſtides, verùm homo erat, nec felle caruit, ſolebátque amare alios, alios odiſſe. *Negatur.*

Hæc Lucianus, qui paulo inferiùs & hęc opportunè ſubnectit, quæ vt pulcherrima, ita quoque ſaluberrima ſunt. *Quid igitur faciat vir prudens in re ambigua? Sanè opinor, quod Homerus in Syrenum fabula docet, pernicioſas talium ſermonum delicias nauigio prætereat, obturet aures, nec paſſim aperiat affectui cuipiam obnoxiis, ſed ianitore ſedulo ac fido adhibito. Ratione videlicet ac iudicio animi, recta dicentes, recluſis foribus excipiat, inutiles nugas obdito peſſulo arceat. Nempe ridiculum fuerit datum ædibus ianitorem officio ſuo defungi, aures mentémque vulgo patere. Poſtquam ergo tale quiddam calũniatum audieris, tute apud animum tuum rem iſtam perpende; nihil* *Quid in re ambigua Principi faciendum ſit, demõſtratur.*

attinet

Digitized by Google

attinet qualis ſit qui accuſat. Nihil ad rem faciunt alieni mores, nihil accuſationis acrimonia. Quin eo maiore ſtudio rem diſcute, quo inſtructior venit delator, neque item credere conuenit iudicio & exiſtimationi alterius imò accuſantis odio, ſed ſuum veri examen apud nos accuratè ſeruandum eſt, ſuæ item calumniatoris inuidentiæ partes dandæ. Denique quod vtrimque argumēta ſuaſerint, ſtatuendum. Tum vel odiſſe, vel amare quem diligenter explorauimus licet. Priuſquam id factum ſit, calumniæ concedere in primo ſtatim congreſſu, hercle nimis quàm puerile eſt, ac indignum viro, longéque à iuſtitia ſemotum. Hactenus Lucianus, vir, cùm feriò loquitur, doctrinæ non contemnendæ. Vides ô Princeps, quàm illi inepti, quámque Reip. pernicioſi ſint, quorum cùm aures, tum animi impuris delatorum vocibus facile patent. Sed de publico iudicio ſatis. Quid iam de domeſtico dicendum erit.

Domeſtica iudicia bono Principi haud contemnenda.

Non poſſum non magnopere illorum Principum ſiue ſtuporem, ſiue ſuperbiam admirari, qui domeſtica iudicia tamquam meras nugas negligentes, aulicorum ſuorum diſſidia nihil curant. Quî credam eum facturum iudicium ciui iniuriam patienti, quem video domeſticorum ſuorum rixas mutuáque conuicia pro ioco & ſalibus accipere? Illud tibi S. Pauli in mentem veniat ô Princeps, *Si quis domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ rei diligentiam habebit*? Et ſapientiſſimorum virorum exempla recole, qui non minori ſtudio œconomica, quàm politica coluere, ac ſtatim intelliges haud ita rem leuem eſſe domeſticis iudiciis præſidere, naſcentibus malis obuiam ire exortas lites componere.

Aulici maledici expellendi.

Vnum hoc moneo præter illa, quæ ſuperiùs de publico iudicio dicta ſunt, & mox orationi finem imponam. Vt iniuriarum ſemina quæque tollas per tuam te pietatem vehementer oro, atque obteſtor, vt eos, qui in alienam famam virulentas linguas acuere, ocioſorum

aulicorum

Digitized by Google

aulicorum negocium putant, ſuúmque theſaurum vocant maledicere bonis, à tuis ædibus expellas. Periculoſiſſima res eſt alere domi feras, quippe quæ non rarò

Boet lib. 3. de cõſ. Phil.

Laxant nodis colla ſolutis,
Primúſque lacer dente cruento
Domitor rabidas imbuit iras.

Nec tuæ (mihi crede) famæ parcent, quæ ſciunt ſe ob maledicendi peritiam abs te foueri & coli.

Dat eſcam eſurientibus.

Diuina in alendis hominibus beneficentia.

VT inſontes ab iniuriis tuetur Deus, eorúmque patrocinium acriter ſuſcipit; ſic & famelicos (quæ illius eſt benignitas) aſſiduè nutrit. Pſalmo etiam CXLIV. ſic diuina magnificentia liberalitáſque prædicatur. *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.*

In eius igitur manus mentis tuæ aciem intendito Chriſtiane. (Pſ. 122.) *Sicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum donec miſereatur noſtri.* Sicut, inquam, ſerui in heris omnem ſpem ſuam ſitam habent, eorúmque præſertim manibus, à quibus quottidie cibum expectant, capiúntque, ſemper adiiciunt oculos; ita tu quoque, cuius ſeruitus ingenua libertas eſt, regnum eſt, oculos tuos in diuinas manus dirige, in quibus, teſte Iſaia, *deſcriptus es;* in manus videlicet illas, quæ ſi tam largæ liberaléſque ſunt cuiuis, tametſi infimæ abiectiſſimæque beſtiolæ, *vt impleant omne animal benedictione;* haud profectò tibi, homini ad imaginem diuinam procreato, & Chriſtiano, hoc eſt, regni cœleſtis hæredi, reſtrictæ vacuæque erunt. Vide, obſecro, quàm de te ſollicitus ſit Deus; quàm lautè, quàm

Digitized by Google

opiparè ab illo accipiaris. Non ſolùm vitæ neceſſaria largè tibi ſuppeditauit,ſed iis etiam cibis menſam tuam inſtruxit,qui faſtidiens palatum tuum ſaporibus exquiſitis demulcerent,laſſámque voluptatem imitarent.

Principum auaritia & ſocordia in re frumetaria.

Immane,quantum à diuina benignitate abſunt mortalium Principum complures,qui tum ſe populis ac domi ſuæ bene conſulere putant,cùm liberalitatē è ciuitate extrudunt,atque in exilium pellunt, cúmque omnes vires ſuas eò intendunt, vt largam Dei manum contrahant,diuinámque beneficentiam extenuēt,ſiue dum frumenta è ſua in alienas ditiones exportari ſinunt,ſiue dum in annonæ caritate ocio diffluētes laſciuientéſque populi curam abiiciunt, ſiue dum in optimatum frumenta comprimentium rapinis ſibi conniuendum putant.

Aulicorum querimonia.

Pudet ſanè aulicorum quorumdam inferioris notæ querelas è triclinio in medium proferre; proferēdæ ſunt tamen. Queruntur auaritiam noſtra hac tempeſtate ſub frugalitatis parſimoniæque nomine ac larua latitare. Aiunt ſtomachabundi ſe ſuomet ſenſu ſæpiſſime victitare, ſéque inſtar cochlearum eſſe,quæ

Suo ſibi ſucco viuunt, ros ſi non cadit. Plaut. in Capt.

Queruntur eum prudentiorem ſagaciorémque œconomum haberi, qui domini rem accuratiùs tenaciúſque conſeruet, dicam verius, qui ſordidiùs amplificet, inſtárque hyrudinis alienum exugat ſanguinem. Queruntur ſuas miſerias diſſimulari. Obteſtantur denique Deum Opt. Max. vt ſuis Principibus bonam mentem det,qua illuſtrati, auaritiæ ſordibus abiectis, liberalitatem,potiſſimam ſcilicet Principis dotem, certámque diuitiarum atque inexpugnabilem poſſeſſionē iamdiu ab eorum ædibus exulantem,recipiant,receptam numquam expellant. Hæc illi,aliáque complura in eamdem

ſenten

Digitized by Google

ſententiam, quæ ſi vera ſint, non omnino tanta hæc loquendi libertas reprehẽdenda videtur, neque ſtatim maledici habendi ſunt ij, qui has querelas ſpargunt in vulgus; *eſt enim* (vt olim ſcitè aiebat Philippus Macedonum Rex) *in Principe ſitum, vt bene, vel malè audiat.*

Aulicis inſinuatur frugalitas. Quamquam autem perdifficile eſt ad ventrem auribus carẽtem, vt olim dicebat in concione Cato Senior, verba facere: ſpero tamen fore, vt abs te, aulice Chriſtiane, hic noſter de frugalitate ſermo libenter ac benignè excipiatur. Non tibi rem nouam atque inauditam dico, ſed familiariſſimam. Nihil æquè in ſacris litteris tritum. In ipſius mundi, vt ita dicam, incunabulis, legis à præpotenti Deo primum noſtrum Parentem à ligno ſcientiæ boni & mali abſtinere iuſſum, legis deinde, nec ſine lachrymis ob diuinum præceptum violatum cùm illi, tum vniuerſo humano generi pœnas acerbiſſimas irrogatas. In lege Moſaica paſſim Iudæis certo ciborũ genere interdicitur. In hac noſtra, quàm frequens ieiunij mentio!

Senec. ep. 25. Cachinnos fortè tolleres ſi Epicuri dictum illud auribus tuis ingererem, HABEAMVS PANEM, HABEAMVS AQVAM, CVM IPSO IOVE DE FELICITATE CONTENDIMVS. Abſit abſit à nobis (diceres) tanta felicitas, quæ ſi Ioue digna eſt, illi, qui vel ſapientum iudicio miſerrimi exiſtimantur, feliciſſimi ſunt. Nihil ſanè erat cur ad aulam tranſiremus. Domi noſtræ fuiſſet abunde iſta felicitas.

Senec. ep. 4. Atqui ſeriò loquebatur Epicurus tametſi homo mollitiem profeſſus, tu cachinnaris? *Lex illa naturæ ſcis* (docet Seneca) *quos nobis terminos ſtatuit? Non eſurire, non ſitire, non algere. Vt famem ſitímque depellas, non eſt neceſſe ſuperbis aſſidere liminibus, nec ſupercilium graue & contumelioſam etiam humanitatem pati.* Audin aulice? Nimirum *ad ſaturitatem*

Digitized by Google

ritatem(vt idem Philoſophus aiebat) *non eſt opus fortuna.* Seneca
Neque verò putes ventre diſtento Senecam egiſſe de ep.18
parſimonia. Hæc ille de ſe: *Panis deinde ſiccus, & ſine menſa* ep.84.
prandiũ, poſt quod non ſunt lauandæ manus. & alibi: *Inde vino* ep.119.
caret ſtomachus. Non credis homini quippe de ſe more
Philoſophorum loquenti. Crede ſaltem Cornelio tuo,
ſic de illo affirmanti: *Simplici victu & agreſtibus pomis, ac ſi* Lib.15.
ſitis admoneret, profluente aqua vitam tolerat. At antiquæ an.
parſimoniæ iam pares non ſumus. Quotuſquiſque in
aula eſt, qui pane & aqua contentus viuat? Non iſta frugalitas
eſt, ſed pœna. Quis non videt propediem vires
noſtras obrutum iri, ſi iſtiuſmodi felicitati ſit locus.

Quidni potiùs tuas obiurgas, aulice, delicias, immanémque
ingluuiem, quibus factum eſt, vt ſtomacho viribúſque
langueſcentibus, ea, quæ ſuperuacanea fuerãt,
facta ſint neceſſaria? Sed ne durior ſqualidiórque tibi
homini molliculo videar, quàm hæc noſtra tẽpora, tuíque
mores poſtulent, per me licet, vt Epicurum in hoc
genere duriuſculum mollias, dummodo res vſitatas &
non magno parabiles appetas, tantúmque cibi & potionis
adhibeas, vt reficiantur vires, non opprimantur. Hic
tibi ſit frugalitatis modus quando antiquæ parſimoniæ
iam pares non ſumus. Sumptuoſas igitur cœnas, largiores
exquiſitioréſque dapes, irritamẽta iam laſſæ voluptatis,
lurconibus iis relinquito, qui felicitatẽ ſuam corporis
fœdiſſimis voluptatibus metientes, naturam impudentiſſimè
accuſant, quòd paruos ventres hominibus dederit,
quódque ciborum voluptatem exiguis gutturis finibus
terminarit. Tibi ante oculos non Chriſtianos modò
Antonium Hilarionem, Paulum Benedictum, Baſilium,
Hieronymum, alióſque quamplurimos verę frugalitatis
cultores proponito, ſed, vt magis etiam pudeat, Curiũ,
Fabricium, Coruncanum, Senecam, alióſque nonnullos
profana

Digitized by Google

profana hiſtoria celebres, qui gulæ irritamenta à coquis mira arte exquiſita ſpernentes, & naturam, quæ paucis minimíſque contenta eſt, ducem optimam ſequentes, ſibi manu ſua parabant cibum. Ecquis deinceps dixerit, *Venter præcepta non audit, poſcit, appellat?* (liceat mihi aureis hiſce noſtri Philoſophi verbis orationẽ cõcludere) *Non eſt moleſtus creditor; paruo dimittitur, ſi modò das illi quod debes, non quod potes.*

Seneca Ep. 21.

Sed quàm tibi ſplẽdidũ, quàm vtile fuerit ô Princeps, Dei Opt. Max. qui dat eſcam eſurientibus, beneficentiã ſingularem imitari. Sanè tunc maximè fortuna Principis nutat, cùm annona ingraueſcit ac fit durior. Hiſtorias volue, ac paſſim reperies *grauitate annonæ ſæpe iuxta ſeditionem ventri. Nimirum cum ventre humano tibi negocium eſt* (audi Senecam) *nec rationem patitur, nec æquitate mitigatur, nec vlla prece flectitur populus eſuriens.* E contrario ad concilianda ſtudia plebis nihil æquè valet, ac annonæ vilitas. Pulchrè Lucanus in perſona Iulij aiebat,

Princeps omni conatu annonæ difficultati occurrat.

Tac. lib. 5. & lib. 12. Senec. lib. de breuit. vitæ.

---irarum cauſſas & ſumma fauoris
Annonâ momenta trahi, namque adſerit vrbes
Sola fames, emitúrque metus, cum ſegne potentes
Vulgus alunt. Neſcit plebes ieiuna timere.

Lucanus lib. 11.

Auguſtus Cæſar nónne ad firmandum imperium populum annona pellexit? *Vbi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine ocij pellexit* (inquit Cornelius) *inſurgere paulatim, munia Senatus, magiſtratuũ, legum in ſe trahere, nullo aduerſante.* Itaque ne firmiſſimo hoc imperij fulcro priueris, cura vt ſuus agriculturæ ſit honos, quæ ſanè vbi viget, vix vmquam eſt vlla frugum egeſtas. Certè ſi hiſtorias legeris, reperies Italiam olim, quamdiu diligenter oxculta fuit, non modò ſuis, ſed exteris etiam nationibus fruges largè ſuppeditaſſe; cùm verò Africa, & Ægyptus exerceri potiùs cœpiſſent, eam ſæpius & aciiùs

Tac. lib. 1. an.

Vide Cor. Tac. lib. 12.

annonæ difficultate exagitatam. Præterea haud ab re fuerit præcauere in futurum, ſterilitatem ſemper timere, ſanctúmque Patriarcham Ioſephum & Seuerum Imperatorem imitari. Ille tantam frumenti vim in horrea Pharaonis fertilibus annis comportari iuſſit, vt ea non Ægyptij modò, ſed & finitimi populi (ſæuiente annona) mirum in modũ ſubleuati ſint: huic tantæ curæ fuiſſe legitur annona, vt cùm è vita diſceſſit, reliquerit in horreis publicis frumentum, quod ſeptem annos populum Romanum alere potuiſſet.

Quid Principi faciendũ ſit declaratur, ſi è cœlo ſit ſterilitas.

At ſi è cœlo ſit ſterilitas, cura, vt vel è remotiſſimis regionibus frumenta in tuam ditionem conuehantur, quamuis maximi tibi ſumptus faciẽdi ſint, maximáque pericula ſubeunda. Quis non admiretur egregias illas Põpeij magni voces, VT NAVIGEMVS VRGET NECESSITAS, VT VIVAMVS NON VRGET? Sic enim ille nauim conſcendens, atque ad vrbem rei frumentariæ inopia laborantem properans, nautis ob exortam tempeſtatem nauigationem detrectantibus. O animum verè magnum atque inuictum, cui potior fuit Patriæ periclitantis incolumitas, quàm priuata.

Ad hæc ne ſubditi *nouis oneribus turbentur, vtque vetera ſine auaritia, aut crudelitate magiſtratuum tolerent* prouide. Tac. lib. 4.

Et illud Tyberij conſilium valde mihi probatur (quidni enim, ex cœno gemmas colligamus? quidni malum hominem bona tamen vtiliáque interdum ſuadentem in conſilium adhibeamus?) *Hic ſæuitiam annonæ incuſante plebe, ſtatuit frumento pretium, quod emptor penderet, binóſque nummos ſe additurum negociatoribus in ſingulos modios.* Eſto tu quoque plus de populi ſalute, quàm de ærario ſollicitus. Tac. lib. 2. an.

Lurconum quorumdam ingluuiem inſatiabilem, diuitúmque

Digitized by Google

uitúmque immenſum luxum ſeueriſſimis legibus compeſce, ne vniuerſam ciuitatem exhauriant. *Quindecim dierum alimenta vrbi non amplius ſuperfuiſſe conſtitit*(inquit Cornelius) *magna Deúm benignitate & MODESTIA VRBIS rebus extremis ſubuentum.* Didicimus profectò experimento ſumptuaria lege in annonæ caritate multis incommodis obuiam itum. Cæterùm domum tuam primum coërce, tum cæteras: nam rectè Claudianus,

Tac. lib. 12.

Claud. Conſ ad Honor.

---componitur orbis
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis
Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.

Tac. lib. 3. an.

Præcipuus adſtricti moris auctor Veſpaſianus fuit(diſcis ex Cornelio) *antiquo ipſe cultu victúque: obſequium inde in Principem,* ET ÆMVLANDI AMOR *validior, quàm pœna ex legibus & metus.* Optimum quoque erit hiſtriones, funambulos, ſaltatores, ſcurras, & id genus errones, qui nati conſumere fruges, tamquam fuci alienis laboribus inſidiantur, ciuitate & agro pellere.

Ditiorum quorumdam, frumentum comprimentiũ, clauſíſque horreis truci vultu aſſidentium, immanem auaritiam hoſtiliter inſectare. Hi enim ad fraudẽ conuertunt naturæ induſtriam, & indulgentiam, ac (vtar verbis Ambroſij) *de fame publica negociantur.*

S. Ambr. lib. 3. off. c. 6.

Ipſis familiaribus tuis ô Princeps, grauem annonam eſſe negantibus, ne ſis credulus. Solent enim aulici (horũ ſemper hiant in magna fortuna inexplebiles cupiditates) ab auribus Principum vulgi querelas auertere, publicáſque calamitates extenuare, ne congeſtæ pecuniæ, quibus inhiant ipſi, minuãtur, ſícque ſua ſpe fruſtrẽtur, néve infames negociationes, quibus implicantur, vllum ſentiant detrimentum. Num fingo? Num hæc mea ſunt ſomnia? Lege Plutarchum (noſtra enim tempora quippe

ſacro

Digitized by Google

ſacroſancta non auſim attingere) ac reperies Mithridatis exercitum, ipſo Mithridate inſcio (ducibus nimirum inopiæ famam comprimentibus) pæne fame enectum.

Denique rem optimo Principe dignã facies, ſi Theophilum Imperatorem imitatus, perſæpe ciuitatem obieris, & quanti res ad victum neceſſariæ væneant, paſſim ex obuiis ſciſcitatus fueris. *Zonara in Theophilo.*

Liberalitas erga aulicos Principibus cōmendatur. Quod præterea ad aulam pertinet, ſi humana diuináque gloria tibi curæ eſt, ſplẽdeat non minus in menſa aulicorũ Christiana liberalitas, quàm in tua. Vide mi Princeps, qualem domi œconomum habeas, cui rei familiaris curam demandaſti. Eum ſi auaritiæ morbo laborare intellexeris, arce arce tale contagium. Difficile morbus ille pellitur. Hydropi meritò comparatur.

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſſa morbi
Fugerit venis & aquoſus albo
Corpore languor.

Non tam œconomi erit auaritia, quàm tua, imò tua. *Si noceat equus* (docet Socrates apud Xenophontem) *plerumque in ſeſſorem crimen reiicimus.* Atuero inprimis conſiderato Heliotropium Solis curſum imitari. Oeconomos videlicet, regulam regendæ domus ab herili plerumque ingenio mutuari. *Improbi domini ſeruos probos & frugi* (inquit Iſchomachus apud Xenophontem) *non memini me nouiſſe.* Talis tu eſto, qualem œconomum eſſe vis. *Catellæ perinde ac dominæ*, aiebat neſcioquis, & Seneca Tragicus, *Xenoph. in Oeconomico.* *Plato Dialog. 8. de rep. Seneca.*

Rex velit honeſta, nemo non eadem volet.

Dominus ſoluit compeditos.

Deus hominẽs in veram libertatem vindicat. EOs nimirum, qui peccatorum nexibus impliciti diram dæmoni ſeruiebant ſeruitutem, ſoluit, atque in veram

veram Iuſtitiæ cœleſtis aſſerit libertatem.

Mortales autem Principes, fœdiſſimarum libidinum vitiorúmque omnium inexplicabilibus nexibus ciuitates ædéſque ſuas implicari patiuntur: quin ipſimet ad flagitia & ſcelera quæque peſſimo exemplo ſeſe duces præbent ſubditis audaciſſimos. *Et quoniam* (ſcitè Lactantius) *mores ac vitia Regis imitari genus obſequij iudicatur, quid mirum, ſi abiiciant ſubditi pietatem, ne exprobrare Regi ſcelus videantur, ſi piè viuant?*

Terreni Principes peſſimo exemplo innumerabiliũ ſcelerum cõpedibus ſuos ſubditos vinciunt.

Lactan. de Iuſt. cap. 6.

Deus non alia vincula fidelibus iniicit, quàm eximiæ erga eos charitatis: quid enim euangelicæ legis vinculis benignius, quídve amabilius? Iis certè Catholica Eccleſia, hoc eſt, Chriſti ſponſa, tamquam ſertis quibuſdam redimita, ac pretioſiſſimis monilibus exornata, mirabiles ſui ipſius amores excitat. Huc ſponſi voces illas pertinere dixerim, *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis, collum tuum ſicut monilia.* Rabbi Ioſephus Albo dum nobis Moſaicam legem tamquam omnibus ſuis numeris perfectã abſolutámque repræſentare conatur, Euangelium legem eſſe negat, quòd ſcilicet numquam ferè Chriſtus in Euangelio tonet, fulguret, gladium vibret, id quod legiſlatoribus ſolemne eſt. Sed non vidit homo inſanus euangelicam legem eſſe vincula illa amabilia, de quibus vaticinatus fuerat Oſeas, inquiens: *In vinculis Adam traham eos in funibus charitatis.* Huc accede ô Iudæe, ac videbis Chriſtianorum plurimos, non tonitru & fulgurẽ, ſed his vinculis charitatis illectos atque irretitos à ſcelere tamquam à ſerpentino morſu ſibi cauere, ídque vnum agere, vt cœleſtem vitam in terris traducant. Sed faceſſant Hebræi. Satis ſit vidiſſe ſacroſanctam legem noſtram iugum ſuaue eſſe, & onus leue, eóque iugo ac onere non ſolùm non premi obruíque fideles, verùm mirum in modum refici ac recreari.

Diuina euãgelicaque legis vincula amabilia.

Cant. 1. Vide reſpõſa G. Genebrardi ad Rabbinos Ioſephũ Abb. & Dauid Kimhi.

Oſe. 11.

Digitized by Google

Principum leges duræ.

Ceterùm terreni Principes furioſis, importunis nimiis atque adeò iniuſtis legibus tamquam compedibus quibuſdam ſæpiſſime ſubditos adſtringunt, tantíque illis eſt dominandi libido, vt non iam à Catholicis Philoſophis, ſed ab impiiſſimis hominibus regnandi regulam mutuati, omne ſuum ſtudium ad populos opprimendos conferant.

Vectigalium onus graue.

Vectigalium autem (vt alia onera prætermittamus) tanta eſt moles, vt ea infelices homines eliſi, vix ſeſe attollere atque erigere queant.

Principes pollicitationib. & opibus aulicos vinciunt.

Sed alia iam vincula intueor, alios nexus, ingentes nimirũ opes, & pollicitationes, quibus Principes nõ ſecus, ac tortores immaniſſimi, aulicos ſuos tamquã ſtigmaticos fugitiuos arctiſſimè vinciunt. O ſi nobis ad intima aulæ penetralia pateret aditus, ſi ſcire liceret, quò largæ illę opes, magnificæq; pollicitationes interdũ ſpectarẽt, ea forte cognoſceremus, quæ lingua poſtmodũ innocẽs vix ac ne vix quidẽ proferre auderet, ſed hæc aliis exaggeranda relinquo. Certè quoties in aliquem ex iſtis aulicis incurro, qui vel auro corrupti, vel *verba blanda* (vt cum Plautino illo ſic loquar) *eſſe aurum rentes dictáque dotáque pro datis*, terrenorum Principum nutum iuſſúmque, quamquam Iudæorum diuinum præceptum putant, & quamlibet infamiam ſubire non dubitant, næ mihi vnum ex illis captiuis videre videor, qui à barbaris quibuſdam (*apud quos vernaculum eſt aurum & copioſum*) *auro vincti in ergaſtulis tenentur, tanto locupletiores* (vt ſic cum Tertulliano loquar) *quanto nocentiores*.

Plaut. in Aſin.

Tertul. lib. de habitu mulieb.

Quomodo ſeſe gerere debeat aulicus, explicatur, cùm à ſuo Principe ad flagitia incitatur.

Sanè quamquam initio huius operis dixi (ſi bene meminiſti) haud mihi propoſitum eſſe quemquam ab aula deterrere, quin eos vitæ ciuilis perturbatores nominaui, qui libellos edunt, quibus aulica vita petulanter vituperatur laceratúrque, tamen an mecum ipſe pugnem, ſi ingenuum

Digitized by Google

ingenuum honeſtúmque virũ à malo perditóque Principe auocare coner,ſapientum eſto iudicium. Equidem cùm virum bonum non tam peccata, quàm peccatorũ pericula vitare deceat, quídni Chriſtiano aulico maximè verò victoriam deſperanti,ſuadeam,vt cum his machinis,quibus magni quoque viri interdũ fracti ac debilitati ſunt, pertentatus fuerit, ſeſe in effuſam fugam coniiciat? Ego verò libenter ſuadeo, qui ſciam non minus peſſimorum Principum conſuetudine virorum integerrimorũ perſæpe mores corrumpi, quàm locis grauibus firmiſſimam etiam valetudinem tentari,& qui legerim non minus Eccleſiæ Iulianum Apoſtatam blanditiis obfuiſſe,quàm Neronem gladio, & qui quottidie innumeros videam iaculis aureis confoſſos cadere.

Quapropter,vt rem hanc paucis complectar,ſimulac à tuo Principe ad res prauas extimularis,optimo conſilio, ſalubribúſque cohortationibus inſanum eius impetum retunde ac frange primùm ſi potes; ſin minus, eum tibi militem imitandum proponito, qui cùm diu acritérque decertaſſet,nec quicquam profeciſſet;ex acie diſcedens,ſéque incolumem Patriæ ſeruans, fugã ſuam præclaris his vocibus cohoneſtauit, FVGIO VT RVRSVS PRÆLIER; abi,abi,inquam, quamocyſſimè, honeſtúmque exilij ſquallorem aulico ſplendori præponito;alioqui capieris (mihi crede)infelicíſque temeritatis grauiſſimas pœnas dabis.

Tu verò,qui honorum diuitiarúmque ſtimulis concitatus iam collum infelicibus laqueis inſeruiſti,quouſque tandé patieris, vt ceu *Leo chordula vinctus*(vt in prouerbio eſt)ludibrij cauſſa turpiter circumducaris? Adeóne tui oblitus es,vt vel à feris magnitudine animi vinci te ſinas? *Ad aulicum, qui promiſſis opibúſve irretitus iuſtitiã deſeruit.*

Boët. de *Quamuis Pœni pulchra leones*

 Vincula

Vincula geſtent, manibuſque datas consol. Philoſ.
Captent eſcas, metuántque trucem
Soliti verbera ferre magiſtrum:
Si cruor horrida tinxerit ora,
Reſides olim redeunt animi,
Fremitúque graui meminere ſui,
Laxant nodis colla ſolutis.

Meminit ſui leo, loráque, quibus adſtringebatur, excutit ſtrenuè: tu homo ad libertatem nate, turpiſſimas catenas trahere pulchrum glorioſúmque putabis? tu ſpreta diuina lege cœleſtíq; gloria, Lucelli neſcio cuius cauſſa mortalis Principis effrænatis libidinibus inſeruies, à quo forte propediem honoribus iſtis expoliatus fortuníſque omnibus euerſus tamquam hoſtis eiicieris? Solemne eſt Principibus (mihi crede) eos ipſos demum, quorum opera ad ſcelera vſi ſunt, faſtidire, miríſque modis affligere. Vt innumeros prætercam; hæc de Tyberio Tacitus. *Scelerum miniſtros, vt peruerti ab aliis nolebat, ita plerumque ſatiatus, & oblatis in eamdem operam recentibus, veteres, & prægraues afflixit.* Tac. lib. 4. an. Et Anicetus quo loco apud Neronē fuit poſt Agrippinæ patratam necem? *Leui poſt admiſſum ſcelus gratia* (refert Cornelius) *dein grauiore odio, quia grauiorum facinorum miniſtri quaſi exprobrantes adſpiciuntur.* Tac lib. 14.

Agè itaque præpotentem Deum, qui ſoluit cōpeditos, qui *conterit portas æreas, & vectes ferreos confringit*, ſummo ſtudio precare, vt nexus iſtos abrumpat, efficiátque, vt nullis vmquam pollicitationibus largitionibúſque delinitus ac irretitus, Iuſtitiam, è qua vera libertas exiſtit, deſeras. *Audi fili, & accipe conſilium intellectus* (finge ſic tecum loqui Eccleſiaſticum) *& ne abiicias conſilium meum. Iniice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum: & erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & baſes virtutis & torques illius in ſtolam gloriæ; decor* Eccli. 6.
enim

Digitized by Google

enim vitæ eſt in illa, & VINCVLA ILLIVS ALLIGATVRA SALVTARIS. O te beatum, aulice, ſi æterno Deo, cui qui ſeruiunt, optimo iure regnare dicuntur, libertatem tuam tandem aliquando dicaueris.

Vtinam vtinam, Chriſtiane Princeps (te enim iam affari lubet) tua diligentia optimóque exemplo reliqui ciues commoti, ſeſe impuris libidinum vitiorúmque omnium laqueis exoluant. Vtinam fœnus præſertim, quo ab hominibus pecunias fraude auctitátibus, priuatóque vſui bonum publicum poſtponentibus, populi arctiſſimè vinciuntur, ab imperij tui finibus amandes. Quot mala (bone Deus) ea peſtis affert Reip. Iure à Chryſoſtomo morſui aſpidis comparatur, qui voluptatẽ primò affert, ſomnúmque conciliat, mox verò enecat. Gaudent initio ij quidem, qui fœnus accipiunt, miſeriam ſuam propediem ſubleuatum iri, confidentes, verùm tum demum damnum ſentiunt, cùm ſeſe ad inopiam deuolutos vident. Quàm præterea tuo ærario exitioſa eſt hæc lues! Certè cùm Principum opes ex ciuium opibus pendeant, atque hæ ex agricultura & mercimonio conflentur augeantúrque; quiſnam, obſecro, in tua ditione vectigalibus & portoriis relinquetur locus, ſi (fœneratoribus vniuerſam pecuniam ex ciuium crumenis in ſuas ædes deriuantibus) qui mercaturam faciant, & huc illuc merces tranſuehant, nulli, aut certè pauciſſimi fuerint? Quàm denique fœnus turbulentum ſit, luculenter his verbis teſtatur noſter Hiſtoricus. *Sanè vetus vrbi fœnebre malum, & ſeditionum diſcordiarúmque creberrima cauſſa, eóque cohibebatur antiquis quoque & minùs corruptis moribus.*

Princeps bono exemplo ſit ſuis ſubditis, conetúrque vitia quæque, præſertim verò fœnus arcere.

Tac. lib. 5. an.

Vtinam non aliis compedibus ſubditos tuos oneres atque adſtringas, quàm beneuolentiæ. Vtinam, inquá, Machiauelli, aliorúmque eiuſdem generis ſycophantarum tyrannicas inſtitutiones, è quibus iniuſtiſſimæ pe-

Legum ſit ſuauitas & parſimonia.

Digitized by Google

tuntur leges, quibus miſeri populi tamquam compedibus conſtringuntur, à tuo imperio quamlongiſſime propulſes?

Vtinam & nouas leges parcè feras: ſatis namque didicimus plurimis legibus non inſtrui ciuitates, ſed deſtrui. Sanè, vt miles multiplici eáque graui armatura oneratus & ad pugnam ineptus efficitur, & ab hoſtibus facile capitur; ſic profectò miſeri ciues multitudine ſanctionũ obruti, & quid agant, & quomodo ſe expediant, planè ignorant, ac rabularum denique lites (quarũ bonus Princeps acerrimus hoſtis eſſe debet) ſtudioſiſſimè captantium, eóque leges ediſcentium, vt ciuitatem expilent, præda fiunt.

Vectigalium moderatio. Quid autem de vectigalibus dicam? Non me fugit ea ob labores, qui in Rep. gubernanda perferuntur, neceſſariò imponi debere. Neronis cũcta vectigalia omitti iubentis impetum repreſſum à Senatoribus legimus, *diſſolutionem Imperij docendo, ſi fructus, quibus Reſp. ſuſtineretur, diminuerentur.* Tac. lib. 13. Nempe tributa, vt eleganter aiebat Cicero, *ornamenta pacis ſunt, & ſubſidia belli.* Cic. pro lege Man. Vt igitur te non impedio quominus populis vectigalia imponas, ita ne nimiæ ſint exactiones, ne crebræ, néve vllam tyrannidis vel minimá ſuboleant ſuſpicionem, percupio. Temperandæ planè publicanorum cupidines. Merces ad delicias magis quàm ad vſum inuectæ, par eſt, vt grauius vectigal perſoluant. Ita C. Cæſar peregrinarum mercium portoria inſtituit. Suetom. Quid plura? Salomonis, imò ipſius Dei monitum accipe. *Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in neceſſaria domus tuæ, & ad victum ancillis tuis.* Prouerb. cap. 27. Si talis tibi magiſter ſæpe aurem vellat Chriſtiane Princeps, quantum proficies! Quis non iudicet primo aſpectu Tyberium & M. Aurelium ex hoc fonte potaſſe? Ille Præſidibus, onerandas tributo Prouincias ſuadentibus

Digitized by Google

Suet.in Tyberio Dio l. 57. bus ſic reſcripſiſſe traditur: BONI PASTORIS EST TONDERE PECVS, NON DEGLVBERE; hic in expeditione Marcomanica ſuam ſupellectilem auream, argenteam, cryſtallinámque, aulęa, picturas, gemmas, & quicquid pretioſum à ſuis maioribus coaceruatum fuerat, voce præconis vænire maluit (vt ex earum rerũ pretio milites alerentur) quàm prouincias plus æquo onerari. Erubeſcat Princeps Chriſti ſacris initiatus, diuiníſque litteris imbutus, cùm in huiuſmodi voces & exẽpla incidit, cúmque videt à profanis hominibus diuinam legem longè melius coli, quàm à ſe.

Verùm quàm multa in eos Principes dicenda forent, qui diuinorum præceptorum immemores, aulicis, ſiue largitionibus, ſiue fallacibus promiſſis irretitis ad ſcelera quæque abutuntur! Id tantùm dicam, eum Principem, qui aulici ſui rerum terrenarũ fuco corrupti, opera ad flagitia abuti conatur, eiuſdẽ turpitudinis laqueo, quo illum vincire ſtudet, collũ ſuum inſerere. Quare ſi veram libertatem amas ô Princeps (quæ quidem non in vitio eſt, ſed in virtute) ſi infamiæ notam fugis, *vnùmque inſatiabiliter paras proſperam tui memoriam*, fuge & hæc vincula, compedéſque, quibus nihil ſeruilius, nihil infamius excogitari poteſt. Vana eſt illorum Principũ ſpes, mihi crede, qui cùm turpiter flagitioſéque viuant, vitia ſua latere, ſéque bene audituros putant. Abditos quoſque Principum receſſus penetrat fama; ſecreta quæque rimatur. Conſule annales Taciti, & quoſcumque propemodum Romanæ aulæ angulos excuſſos reperies. Dic ſodes, quid Tyberio *obſcurum & ſubdolum fingendis virtutibus ingenium profuit?* quid ſaxa & ſolitudines ad inauditam atque inexplebilem libidinem occultandam quæſita? Nihil prorſus. Annon monſtrum illud tamquã dimotis parietibus hiſtoria nobis oſtendit? Nempe Cæſar

Princeps caueat ne vllis promiſſis opibúſve ſuos aulicos ad ſcelera inuitet.

Tac. lib. 4. an.

Tac. lib. 5. an.

Digitized by Google

Cæſar apud Salluſtium eleganter & verè: *Aliis alia licentia eſt. P. C. Qui demiſſi in obſcuro vitam agunt, ſi quid iracundia deliquere, pauci ſciunt. Fama atque fortuna eorum pares ſunt, qui magno imperio præditi in excelſo ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales nouere.* ITA IN MAXIMA FORTVNA MINIMA LICENTIA EST. Salluſt. ad Cæſarem.

Denique quamuis turpitudinem tuam haud vmquã famæ penetrabilem futuram certò ſcires, diuini tamen Numinis, abſtruſa quæque rimantis præſentiã, vt Chriſtianum Principem decet, reuerere. *Magna vobis eſt ſi diſſimulare non vultis, neceſſitas indicta probitatis* (inquit Seuerinus Boëtius) *cùm ante oculos agitis* IVDICIS CVNCTA CERNENTIS. Boet lib. 5 de cõſ. Phil.

Dominus illuminat cæcos.

Deus hominesilluminat cùm ad veros honores, atque ad ſummum bonum extollit.

EOs videlicet, qui terrenarum rerum caligine excæcabantur, in lucem vindicat, & ad puram dignitatem ſummúmque bonum contemplandum extollit. Certè ſi miracula à Chriſto Domino edita Patrum omnium ſententia ſpiritale etiam aliquid ſignificabant, quid aliud lutum illud quo cęci nati oculi prius circumliti fuerunt, quàm illuſtrati, ſignificauit, niſi terrenam hanc glorioſam? O felices illos, quibus Dei Filius rerum terrenarum obſcuritatẽ vilitatémque ob oculos ponit. O felices illos, quos à vulgi frequentia primùm auocat, mox verò ſapientiæ ſtudio diuinæque conſuetudinis lumine ſplendidiſſimo colluſtrat.

Principes excæcant illos perſæpe quos opibus ac dignitatibus illuſtrant.

Cæterùm terreni Principes vſque adeò à diuino Numine alieni ſunt, vt eos ipſos, quos dignitatibus illuſtrãdos ſuſcipiunt, plerumque excæcent. Miraris autem ſi homo infimo loco natus, atque adeò terræ filius, diu ſordidus, diues repentè factus atque ingentibus honori-bus

Digitized by Google

Tac. bus cumulatus, *mutationem fortunæ malè tegat, accenſis egeſtate longa cupidinibus*, atque ita excæcetur, vt priſtinæ conditionis oblitus, nobiliſſimo cuique cœtui ſeſe immiſcere non vereatur, ſeque vnum rerum omnium arbitrum haberi velit? Miraris ſi ſordidus Iudex dignitate planè obcæcatus Iuſtitiæ lumen intueri nequeat? ſi cæco impetu Iuriſconſultorum libros inter ſeſe committat? ſi res adeò claras, vt ipſius Solis radio (vt ita dicam) ſcriptæ videantur, eo nomine obſcurare conetur, vt inextricabiles lites implicet? ſi excæcatus ipſe, modò hanc, modò illam domũ pretioſa quaque ſupellectile, miſeras quoque mulieres ſuo mundo, ciuiúmque crumenas nummis obcæcare nitatur? Miraris demum, ſi ex Iudicum inſcitia iura interdum omnia (quæ iuremerito fundamenta dicuntur, in quibus SALVS CIVITATIS SITA EST, perturbentur ac ruant? Nihil eſt profectò cur mireris: nam ab iis Principibus ad honores euecti ſunt, qui fortunæ mores ad viuum exprimentes, & cæci ipſi ſunt, & cæcos plerumque efficiunt, quos diuitiis ac dignitatibus cumulant. Enimvero quid mirum, ſi Pallas, *qui velut arbitrum regni agebat*, ipſius Imperatoris thorum violare, ac ſeſe Agrippinæ commiſcere non dubitarit? *ſi triſti arrogantia modum liberti egreſſus tædium ſui moueret?* A Claudio, hoc eſt, ab homine temulento, ac ſtupido ad honores elatus fuit. Quid mirum, ſi Sophonius Tigellinus *obſcuris parentibus, fœda pueritia, impudica ſenecta, præfecturam vigilum, & prætorij, & alia præmia virtutum, quia velocius erat vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde auaritiam, & virilia ſcelera exercuerit?* A Nerone monſtro fœdiſſimo *ex intimis libidinibus aſſumptus eſt.*

Ariſt.

Tac. lib. 13. an.

Tac. lib. 1. Hiſt.

Tac. lib. 14.

Caue ſuſpiceris à me opes honoréſque tamquam cæcitatis originem damnari. Vt nullum in ſole vitiũ eſt, ſi eius ſplendore noctuarum oculi præſtringantur, & hebeſcant,

Non ſunt mali honores & diuitiæ, ſed ij mali ſunt, qui illis abutuntur.

Digitized by Google

beſcant, ita nullum profectò in opibus dignitatibúſque crimen eſt, ſi flagitioſi quidam illis abutantur. Quinimo nihilo æquè nobiles animos ad decus allici dixerim, atque honore. Rerum cùm ciuilium, tum militarium neruus, quis dubitet quin pecunia ſit? Eum ſanè cæcum, eum malum eſſe aio, qui non aliam ob cauſſam honores venatur, niſi, vt populi in ſe ora aurúmque conuertat, monſtretur digito prætereuntium, multóque hominum grege cōſtipatus tumens incedat. Eum malum, qui pecuniam in vſus illicitos inanéſque conuertat. Cæcos demum malóſque illos Principes iuremerito cenſendos eſſe dico, qui in ſceleratos & indignos opes dignitatéſque temere conferunt.

Aulicus à terrenis honoribus auocatur. Quamquam autem, vt dictum eſt, dignitates haud malæ ſunt, tamen amicè me facturum arbitror, ſi tibi, mi aulice, ſuadeam, vt ne illas anxius optes, vt iter potiùs ſpiritalis ac veri honoris arripias.

Dedecora, quæ ab illis perferuntur, qui dignitates aucupantur. Et primùm perpende, obſecro, dedecora, quæ ab illis perferuntur, qui dignitates aucupantur. *Quas non ignobilitates veſtium affectant* (ait Tertullianus) *quæ non atria nocturnis & crudis ſalutationibus occupant? ad omnem occurſum maioris cuiuſque perſonæ decreſcentes, nullis conuiuiis celebres, nullis comeſſationibus congreges, ſed exules à libertatis & lætitiæ felicitate, idque totum propter vnius anni volaticum gaudium.* Tertul. lib. de pœnit. De Othone ſic Tacitus. *Nec deerat Otho protendens manus, adorare vulgum, iacere oſcula, &* OMNIA SERVILITER PRO DOMINATIONE. Tac. lib. 1 7 De Vitellio: *Et Vitellius apud ſeueros* HVMILIS. Tac. lib. 1. Hiſt. Et Cyprianum audire ne pigeat. *Quippe illum vides, qui amictu clariore conſpicuus, fulgere ſibi videtur in purpura, quibus hoc ſordibus emit, vt fulgeat? quos arrogantium faſtus priùs pertulit? quas ſuperbas fores matutinus ſalutator obſedit?* Cypr. ep. 2. lib. 2.

Labores, moleſtia, ac damna. Ad hæc ingentes labores, moleſtias, ac damna perpende

Digitized by Google

pende, quæ iſti honorum aucupes ſubeant neceſſe eſt, antequam votorum compotes fiant. Næ iſte *ſalutator matutinus*, qui antequam ſuperbæ fores pandantur, totus in veſtibulo rore ac pruina madet, haſce Dauidis voces aptè vſurpauerit, FACTVS SVM SICVT VTER IN PRVINA. (Pſ. 118.) Certè ſi metaphoram Hebraicam retineas, transferáſque קיטר *Kitor* fumum, & legas cum Paraphraſte Chaldæo, FACTVS SVM SICVT VTER SVSPENSVS AD FVMVM; non erit profectò, cur aliunde hominis terrenæ gloriolæ cupidi, ob eámque ſordida patientis ac dura ſymbolum quæras: vt enim vter ad fumum ſuſpenſus intus vacuus eſt, foris ſordidus & contractus; ita eiuſmodi hominis animus à rebus ſeriis alienus eſt; corpus multis laboribus, vigiliis, & concurſationibus attritum, fama fœda Fortunæ demũ, quæ dicimus bona magno ſuo ſuorúmque incommodo ac detrimento diminuta. Vide, in quas homines anguſtias cogat eff ænata hominum cupiditas.

Dicis tamen. Tametſi non ignoro eis, qui honores venantur, multa dedecora damnáque perferenda, & magnos exantlandos eſſe labores; tamen omnia pati mihi iucundum, modò ad optatum finem perueniam, modò omnes mihi aſſurgant, ac loco cedant. Puſilli animi eſt vllis difficultatibus à rebus honorificis auocari. Audendũ audendum eſt; obuia quæque inuicto animo ſuperanda. *Opportunos magnus conatibus trãſitus rerum.* (Tac lib. 1. hiſt.) Cùm quod ſatis eſt accepero, tum ſordes (ſi quas contraxi) parti honores eluent, tum quieſcam, tum damna reſarciam.

Obiicit aulicus difficultates omnes ſibi ſuperandas eſſe, donec quod ſatis eſt acceperit.

Sanè gratulor tibi iſtud tantùm animi robor, mi aulice. Quid tamen, ſi vter antequam inifletur impleatúrve, in ignem cadat? Lepidè namque Plautinus ille,

Quàm votũ iſtud vanum ſit demonſtratur.

(Plaut. in Curc.) *Semper tu ſcito flamma fumo eſt proxima.*

1.
Quod ſæpe ad optatos honores peruenire non liceat.

2.
Quod quamuis perueniatur, non tamen humanum animũ impleant.

Quid ſit e (apertiùs loquar) pecunia prius, amici, vires, ac vita ipſa defecerint, quàm diſtendaris, ac implearis? Eſto tamen, ignis faceſſat longiùs, cumulatè impleаris. Omnes te tamquam Numen aliquod è cœlo delapſum ſuſpiciant; num idcirco locuples factus, num vel ad ingentes dignitates euectus, quieſces? Num dices ſatis eſt? Nequaquam. *Numquam enim* (aiebat noſter Philoſophus) *improbæ ſpei quod ſatis eſt datur. Eo maiora capimus, quo maiora venerunt, multóque concitatior eſt auaritia in magnarum opum congeſtu collocata, vt flammæ infinito acrior vis eſt, quæ ex maiore incendio emicuit. Æquè ambitio non patitur quemquam in ea menſura honorum acquieſcere, quæ quondam eius fuit impudens votum.* & paulo pòſt. *Vltrà ſe cupiditas porrigit, & felicitatem ſuam non intelligit, quia non vnde venerit reſpicit, ſed quò tendat.* Hæc ille. Nempe hic eſt rerum terrenarum mos, vt ſui ardentiſſimam ſitim accendant, tantum abeſt, vt extinguant. Fac tamen opum honorúmque cupiditatem iſtam pauliſper aliquando ſedari. Ecce tibi inuidia, quæ ſitim iterum irritat, & NOS INQVIETAT DVM COMPARAT. *Hoc mihi præſtitit* (pergit Philoſophus) *ſed illi plus, ſed illi maturius, & deinde nullius cauſſam agit; contra omnes ſibi fauet.*

Senec. de ben.

Seneca

3.
Quòd licèt aliquandiu homines beẽt, exitus habeát plerumque infelicißimos.

Verùm, vt quieſcas: vt omnia tibi feliciter contingant: vt fumus iſte omni te iucunditate perfundat, atque adeò ex omni parte beet diutiſſimè in hac vita; annon

Vltima ſemper expectanda dies homini eſt,

Dicique beatus ante obitum nemo ſupremaque funera debet?

Nimirũ exitus eſt, qui acta probat ô bone. Socrates cùm in Alcibiade ſecundo de votis ageret hominum ac precibus, quibus diuinum Numen fatigare ſolemus; oſtendit quanto ij in errore verſentur, qui honores optant aucupantúrque: poſtquam enim veterum exempla recenſuit,

Digitized by Google

cenſuit, quibus ſuſcepti labores partíque honores malè
Plato in Alcib. 2. ceſſerunt; hæc demum ſubnectit. *Vt autem referamus, quæ non ex auditu percepimus, ſed ipſi nos præſentes inſpeximus, vides inſuper ex noſtris ciuibus, quicumque præfecturam exercitus affectantes, nacti illam ſunt, paſſim etiam his temporibus exules oberrare, paſſim morte damnatos eſſe, & ſi qui forſitan in extremis periculis & timoribus ſtrenuè rem geſſiſſe viſi ſunt, non modò in ipſo exercitu, verumetiam poſtquam in vrbem rediere non minoribus ab inſidiatoribus ciuibus, quàm à militibus calumniis affecti ſunt, vt plerique illorum optauerint denique ſe priuatos vixiſſe potius, quàm in publico munere. Quòd ſi pericula & labores huiuſmodi aliquam nobis vtilitatem afferrent, profectò hoc ſtudium nonnihil rationis haberet. Nunc verò longè contrà res ſe habet.* Hactenus Socrates. Profectò ſi recentes hiſtorias legeris: eiuſmodi exempla complura reperies, dicéſ-
Tac. que eſſe nunc quidem *alios homines, non alios mores*, ſem-
Tac. in vita Agric. pérque verum NON MINVS PERICVLVM EX MAGNA FAMA QVAM EX MALA.

Pſal. 4. Agedum itaque Chriſtiane aulice, cuius oculi terrenæ gloriolæ fumo circumfuſi caligant, *vſquequo graui corde, vt quid diligis vanitatem, & quæris mendacium?* Quid animum tuum ad terram deprimis, ac rem, quæ cœleſtibus bonis comparata nihil habet ſolidi, nihil expreſſi, ſed mera vanitas eſt, merum mendacium tam anxiè optas, támque anhelus conſectaris? Quid in tuam ipſe perniciem ſponte ruis? Annon vides fumo nos vel inuitos ex noſtris ædibus extrudi, parietes, aulæa, & pretioſa quæque ornamenta fœdari, lachrymas excuti, anhelitum demum ac vocem intercludi? Annon, inquam, vides nos à terrenis iſtis dignitatibus, quaſi à ſæuo quodam tyranno, bonorum amicorum (ſine quibus nemo, niſi is ſit alter

Digitized by Google

Miſantropos Timon, iocundè viuit, poſſeſſione exturbari? famam fœdari? & quod miſerrimum eſt hominum vitam tragico plerumque fine concludi? Erige erige iamtandem animum tuum, mentíſque tuæ aciem in veræ æternæque dignitatis lumen intendito. Nempe *Dominus illuminat cæcos. Accede ad eum, & illuminare, & facies tua non confundetur.* Is fumi atras nebulas ex animo tuo diſiciet; efficiétque vt puram veri honoris lucem intueri valeas. *Pſal. 33.*

Aulicus qui nullis incommodis ab honoribus deterretur, vt Reip. conſulat, nõ reprehenditur, modo ſit honoribus dignus.

Satíſne tibi perſuaſum eſt terrenos honores fugiendos potius eſſe, quàm ſequẽdos? Non, vt video: nam cùm temere ob ingenij acumen ac doctrinam magnis negociis parem iudices, eorúmque honeſtiſſimum deſideriũ eſſe non ignores qui non, vt ipſi potiſſimum fulgeant, ſed vt hominibus conſulant, honores expetunt; haudquaquam eam tibi rem fugiendam dicis, ex qua mira ad ciues vtilitas manat.

Itáne eſt? Quis deſiderium tuum auſit reprehendere, quod Paulus vas electionis probare videtur, inquiẽs, *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat?* Magnum animum (fateor) magna decet fortuna. Iam dictum eſt ſuprà dignitates inſtar lucis eſſe, qua nihil iucundius, nihil pæne ſalutarius inueniri poteſt. Eas quidem fumo comparaui (nec pœnitet) non quòd malę ſint, ſed, quòd, vt terrena omnia inſtar fumi citò euaneſcant, & quòd ingentiũ malorum occaſio, per hominũ impotentiam, frequenter exiſtant. Idcirco eaſdem ſanctus Cyprianus malorũ blandientium VIRVS OCCVLTVM ARRIDENTIS NEQVITIÆ FACIEM, CALAMITATIS ABSTRVSÆ ILLECEBROSAM FALLACIAM appellat. Agè itaque poſteaquam honores mauis, quàm priuatam vitam, iiſque incommodis ac periculis minimè deterreris, à quibus te dulcis illa quies, ad quam te nuper

1. Tim. 3.

S. Cypr. ep. 2. lib. 2.

Digitized by Google

nuper inuitaram, incolumem ſeruare facile potuiſſet; lubricum iter iſtud, modò magnæ, vt dicis, fortunæ ſis capax, modò ne vanos plebeculæ munuſculos, ſed publicam ſalutem ſpectes, modò ne dedecus vllum ſubeas, QVOD FELIX FAVSTVMQVE SIT, ingredere.

Hoc vnum te moneo, vt ſi ad optatum finem citò peruenire cupias, ne nimium feſtines. Nihil viro honorum cupido præpropera feſtinatione periculoſius; docuítque perſæpe experientia, eos metam honorum citius contingere, qui gradiuntur, quàm qui properát. Ecce tibi exemplum ex noſtri Taciti penu depromptum, ex quo quam viro ad honorum faſtigiũ adſpiranti patientia neceſſaria ſit, facile cognoſces. *Brutidium artibus honeſtis copioſum, etſi rectũ iter perageret ad clariſſima quæque ituru* FESTINATIO *extimulabat, dum æquales, dein ſuperiores, poſtremò ſuaſmet ipſe ſpes anteire parat.* QVOD MVLTOS ETIAM BONOS PESSVMDEDIT, QVI SPRETIS QVÆ TARDA CVM SECVRITATE PRÆMATVRA VEL CVM EXITIO PROPERANT. Quid ego aliud dicam? Satis eſt viro acuto ac perſpicaci ſcopulum indicaſſe.

Quid aulico honorum cupido cauendũ ſit exponitur.

Tac. lib. 3. an.

Cæterùm tu aulice, qui cùm mediocres honores opéſque conſecutus ſis, ad maiores tamen adſpiras; coërce coërce, ſi ſapis, ac ſi multa vitare cupis infortunia cupiditatem tuam. Eorum tibi aulicorũ infelicia exempla propone, qui auaritia ambitionéque excæcati ruerunt in præceps. Porrò nihil æquè Principibus inuiſum eſſe putato, atque aulicorum ſpes inexplebiles, nec mirum: nam *hinc pernicioſiſſimæ iræ naſcuntur* (aiebat Seneca) *& ſanctiſſima quæque inuaſura. Diuum Iulium plures amici confecerunt quàm inimici, quorum non expleuerat ſpes inexplebiles. Voluit ille quidem, neque enim quiſquam liberaliùs victoria vſus eſt, ex qua nihil ſibi vendicauit, niſi diſpenſandi*

Aulicus qui honoribus opibúſque abũdat, coërceat cupiditatem ſuam, ſi multa vitare cupiat infortunia.

Aulicorum ſpes inexplebiles Principibus inuiſæ.

Senec. lib. 3. de ira.

poteſtatem

Digitized by Google

poteſtatem. Sed quemadmodum ſufficere tam improbis deſideriis poſſet, cùm tantum omnes concupiſcerent, quantum vnus? Vidit itaque ſtrictis circa ſellam ſuam gladiis commilitones ſuos Cimbrum Tillium, acerrimum paulo antè ſuarum partium defenſorem, alióſque poſt Pompeium, Pompeianos. Hæc res ſua in Reges arma conuertit, fidiſſimóſque eò compulit, vt de morte eorum cogitarent, pro quibus, & ante quos mori votum habuerant.

Deſine iam mirari, cur immodicæ aulicorum ſpes, & effrænatæ cupiditates Principibus ſint inuiſæ. *Age potiùs gratias pro his, quæ accepiſti* (audi optimum aulicum) *reliqua expecta, & nondum plenum te eſſe gaude. Inter voluptates eſt litemque ſupereſſe quod ſperes. Omnes viciſti? Primum te eſſe in animo amici tui lætare. Multi vinciunt? Conſidera quanto antecedas plures, quàm ſequaris.* Seneca ibidem.

Inuidia cōmenda eſt. His præterea atque aliis eiuſmodi verbis inuidiæ impetū retunde. *Non eſt noſtrûm æſtimare, quem ſupra cæteros, & quibus de cauſſis extollas. Tibi ſummum rerum iudicium dij dedere: nobis obſequij gloria relicta eſt.* Sic M. Terentius eques Romanus apud Cornelium. *Plus accipere debuiſſem* (& hæc à noſtro Seneca memoriæ prodita legere ne graueris) *ſed illi facile non fuit plus dare. In multos diuidenda liberalitas erat. hoc initium eſt, boni conſulamus, & animum eius grate excipiendo euocemus. Parum fecit, ſed ſæpius faciet. Illum mihi prætulit, & me multis. Ille non eſt mihi par virtutibus, nec officiis, ſed habuit ſuam Venerem. Querendo non efficiam, vt maioribus dignus ſim, ſed vt datis indignus. Plura illis hominibus turpiſſimis data ſunt. quid ad rem? quàm raro fortuna iudicat? quottidie querimur malos eſſe felices. Sæpe quæ agellos peſſimi cuiuſque tranſierat optimorum virorum ſegetem grando percuſſit. Fert ſortem ſuam quiſque, vt in cæteris rebus ſic in amicitiis. Nullum eſt tam plenum beneficium, quod non vellicare malignitas poſſit; nullum tam anguſtum, quod non bonus interpres extendat. Numquam deerunt cauſſæ querendi, ſi beneficia à deteriore parte ſpectaueris.*

Tac. lib. 5. an.

Seneca lib. 2. de benef.

Sic

Sic tu ambitionem & auaritiam refrænato,ſic inſultantem inuidiam compeſce. Demum, quia *Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & ſubleuat,ſuſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem*; quicquid adeptus es, id diuinæ potiſſimum benignitati acceptum refer. Primus noſter Parens,cùm eximium honorem, quo à Deo affectus fuerat,non cognouiſſet, ſed fallaciſſimum dæmonem audiens à Deo deſciuiſſet; *comparatus eſt iumentis inſipientibus,& ſimilis factus eſt illis*. Vide,rogo,quàm acerbas de ingrati animi vitio ſumpſerit Deus pœnas. Vt itaque dignũ te Deo filium probes;ei de omnibus tuis bonis gratias habeto. Ipſis demum opibus ac dignitatibus vtere,tamquam de earum vſu rationem aliquando ipſi præpotenti Deo redditurus. Sanè ſi ita te geſſeris;næ tu iſto terrenarum rerum fumo longè melius clareſces, quàm olim auorum fumoſis imaginibus Romanæ familiæ.

Deo honores atque opes accepta referenda

Pſal. 48.

Sed te etiam atque etiam rogo Chriſtiane Princeps, vt opes dignitateſque conferas in viros emeritos ac ſapientes: nam ſi indignos extuleris,prǽterquã quòd cæcus ipſe habeberis à multis,tyrannidis vix,ac ne vix quidem notam effugies. Solent enim Tyranni,eos, qui *ſeruitio ſunt promptiores*,opibus & honoribus cumulare, omnémque conatum adhibere,vt ingenioſiores,qui meritò iudicandi ſunt oculi ciuitatis,obſcurẽt,atque è medio tollant, vt iis capta ciuitas, cuncta nullo negocio miſceantur, tyranniſque faciliùs conſtabiliatur. Huc pertinent (ſi bene meminiſti) ſumma papauerum capita à Tarquinio ſuperbo,baculo decuſſa.

Princeps in viros ſapientes honores conferat.

Tac. lib. 1.an.

Conſidera igitur ô Princeps, te Dei vicem gerere in terris,qui non tenebras hominibus offundit, ſed ipſos illuminat cæcos. Conſidera dignitates, opéſque Reip. potius eſſe,quàm tuas, ac proinde nõ pro tuo arbitratu temere

Perniciosſum ac turpe indignos extollere.

mere prodigendas. Pro certo habeo diuitias ac honores inſtar gladij eſſe, quo vir bonus ac ſobrius ad ſui ſuorúmque defenſionem opportunè vtetur, hoſtéſque à mœnibus ſtrenuè propulſabit: ſceleratus autem, furioſus, ac temulentus ad bonorum necem, proditiones, innumeráque alia flagitia abutetur. Quemadmodum itaque furioſo, facinoroſo, vel temulento gladium haudquaquam dares, ita nec perditis indoctíſque hominibus, à quibus domus, ciuitates, imperia euerti ſolent, dignitates conferendæ ſunt. Cui non ſtomachum faciat Principatus Tyberij, in quo meri plurimum exhauſiſſe virtus erat, & in quo EBRIETATI (proh pudor!) honores delati ſunt? *Poſtea Princeps* (refert Suetonius) *in ipſa publicorum morum correctione, cum Pomponio Flacco & L. Piſone noctē* (duas noctes dicit Plinius) *cōtinuúmque biduum epulando potandóque conſumpſit, quorum alteri Syriam prouinciam, alteri præfecturam vrbis confeſtim detulit, codicillis quoque iocundiſſimos & omnium horarum amicos profeſſus.* Et paulo pòſt. *Ignotiſſimum quæſturæ candidatum nobiliſsimis antepoſuit, ob epotam in conuiuio propinante ſe, vini amphoram.* Nero autem quot ſcelera perpetrauit, non iudicium, ſed ſuas libidines in eligendo ſecutus? *Sofonium Tigellinum, extincto Burro, prætoriis cohortibus impoſuit*, VETEREM IMPVDICITIAM (inquit Cornelius) ATQVE INFAMIAM IN EO SECVTVS, *ac quæ illi pro cognatis moribus ſuere. Validior Tigellinus in animo Principis* EX INTIMIS LIBIDINIBVS ASSVMPTVS? Quid ita hoc monſtrum extulit Nero, *vt ſuper triumphalem in foro imaginem apud Palatium effigiem eius quoque ſiſteret.* Quid ſordidius, quídve turpius Veſpaſiano, qui rapaciſſimos quoſque in Prouincias mittere ſolitus, vt mox locupletatos condemnaret; vulgo proinde dictus eſt ſuos miniſtros habuiſſe pro ſpongiis, quòd eos veluti ſpongias & ſiccos madefaceret,

Suet. in Tyber.

Plin. lib. 14.

Tac. lib. 14.

ret, & madefactos exprimeret? Qua tandem ratione integrè ſanctéque prouinciam adminiſtrabit is, qui ſibi ad honores rapina viam ſtrauerit, cùm *nemo vmquam imperium flagitio quæſitum bonis artibus exercuerit?* Quis demũ (vt recentem quoque hiſtoriam attingamus) non auerſetur Henrici VIII. Anglorum Regis pueriles ineptias, in cuius aula alius, *ob porcellum egregiè aſſatum (quo genere cibi libentiſsimè veſcebatur)* (refert Nicolaus Sanderus) *alius ob exedram regiam commodiori ab igne diſtantia dextrè locatam, alius denique quòd in luſu aleæ elegantiùs ſe ac facetiùs gereret, non beneficio ſolùm, ſed etiam honore auctus dicitur?* E cõtrario, quis non admiretur egregium illud Alexandri Macedonis exemplum? Epheſtioni permiſſum fuerat, vt quem regni faſtigio *Sidones digniſsimum arbitrarentur, conſtitueret Regem. Erant Epheſtioni hoſpites clari inter ſuos iuuenes, qui facta ipſis poteſtate regnandi, negauerũt quemquam patrio iure in id faſtigium recipi, niſi regia ſtirpe ortum.* Hi denique ſtatuunt neminem eſſe potiorem, quàm Abdolominum quemdam *longa quidem cognatione ſtirpi regiæ annexum. ſed ob inopiam ſuburbanum hortum exigua colentem ſtipe. Cauſſa ei paupertatis, ſicut pleriſque probitas erat, intentúſque opere diuino ſtrepitum armorum, qui totam Aſiam concuſſerat, non exaudiebat. Subitò deinde ij, de quibus antè dictum eſt, cum regiæ veſtis inſignibus hortum intrant, quem forte ſteriles herbas eligens Abdolominus repurgabat. Tum rege eo ſalutato, alter ex his, Habitus,* inquit, *hic quem cernis in meis manibus cum iſto ſquallore permutandus tibi eſt. Ablue corpus, illuuie æterníſque ſordibus ſquallidum. Cape regis animum, & in eam fortunam, qua dignus es, iſtam continentiam profer.* Et paulo pòſt. *Vt cunctanti ſquallor ablutus eſt, & iniecta veſtis purpura auróque diſtincta, & fides à iurantibus facta ſeriò, iam Rex iiſdem comitantibus in regiam peruenit. Fama, vt ſolet, ſtrenuè totas vrbes diſcurrit, aliorum ſtudium, aliorum indignatio eminebat. Ditiſsi-*

Tac.

Nicol. Sand. lib. I. de Schiſ. Angl.

Principi glorioſum, ac Reip. vtile eſt dignos eligere.

Q. Curt.

mus quiſque humilitatem inopiámque eius apud amicos Alexandri criminabatur. Admitti eum Rex protinus iuſſit (obſerua ô Princeps quî ſeſe gerat Alexander) *diúque contēplatu: Corporis*, inquit, *habitus famæ generis non repugnat, ſed libet ſcire inopiam qua patientia tuleris? Tum ille*, VTINAM, inquit, EODEM ANNO REGNVM PATI POSSIM. HÆ MANVS SVFFECERE DESIDERIO MEO, NIHIL HABENTI NIHIL DEFVIT. *Magnæ indolis ſpecimen ex hoc ſermone Abdolomini cœpit. Itaque non Stratonis modò regiam ſupellectilem attribui ei iuſſit, ſed pleraque etiam ex Perſica præda: regionem quoque vrbi appoſitam ditioni eius adiecit.* Quàm egregiè vir magnus hominis animum explorauit! Quàm liberaliter cognitam virtutem accepit!

Quæritur cur Princeps, qui pro ſua virili conatus eſt bene honores collocare, ſæpe ſua ſpe fruſtretur.

Reſpondetur mores hominum dignitatibus mutari.

Sed & ſæpius falli Principes ſimulatione virtutis.

Atenim inquies, cùm nihil intentatum reliquerim, vt viros ſpectata virtute, honoribus illuſtrarem, quid cauſſæ eſt, cur me ſæpiſſime ſpes mea fefellerit? An (vt aiunt vulgo) mores hominum honoribus mutantur, & rerum magnitudine hebeſcunt? Certè Tyberium *poſt tantam rerum experientiam, vi dominationis conuulſum, & mutatum* legimus. (Tac. lib. 5. an.) Ego ſanè, vt iſtud non abnuerim, ita ſæpius humani ingenij verſutia atque fallacia te circumueniri mihi perſuadeo. Ille Iohannes (vt alios taceam) homo inediæ ac mœrori deditus, qui ſeſe ſimulatione pietatis Pelagio Romano Pontifici inſinuauit, poſteaquam Conſtantinopolitanus Patriarcha factus fuit; annon græculus homo, ſanctitatis larua depoſita, ambitionis (quam antè bellè occultarat) ſtimulis concitatus eò ruit amentiæ, vt ſpreta ſummi Pontificis auctoritate, Concilium indixerit, vniuerſæque Eccleſiæ Epiſcopum ſe dici voluerit? ánnon (vno verbo) Monothelitas nouum hæreticorum genus inuexit, Romanámque Eccleſiam ſexcentis modis oppugnauit? Iſte ipſe Tyberius vi dominationis haud planè (vt quidem reor) mutatus eſt,

Digitized by Google

Tac. lib. 5. eſt, ſed detectus. *Poſtremò* (ſic de illo concluſit Cornelius) *in ſcelera ſimul & dedecora prorupit, poſtquam remoto pudore, & metu ſuo tantum ingenio vtebatur.* Viden eum è latebra ſimulationis, in qua diu delituerat, tandem exiliiſſe, atque in ſcelera ſimul & dedecora prorupiſſe?

Porrò (rurſus vrgebis) ſi ſummi Pontifices aliique nonnulli magno ingenio præditi ab hominibus fallaciſſimis decepti ſunt, quò ſeſe bonus Princeps vertet? qua tandem ratione harum vulpecularum, *immanem animum ſubdola modeſtia tegentium*, fraudes vitabit? quomodo digni eligi poterunt, quibus honores deferantur. *Quæritur quomodo Principi bonos eligere cupienti ambitioſorum fraudes vitandæ ſint.* Tac.

Quamquam, ô Princeps, difficillimum eſt homines noſſe, ne dicam τὸν ἀδύνατον, tamen quibus modis potes eum exploraꝛo, quem dignitatibus exornare cupis. Quòd ſi deinde is, quem diligenter exploraueris, expectationi minimè reſponderit; caue putes propterea gloriam tuam vel tantillum obſcuratum iri. Munere tuo egregiè functus es. Non tantùm alienæ prauitati ineſt robur, vt boni Principis famam lædere queat. Alexander Seuerus Imperator habuit domi Tetroniū Thutinum familiarem, fumi venditorē; haud tamen à quoquam reprehenditur, neque enim credendus eſt is oſcitanter Tetronium in aulam & familiaritatem ſuam recepiſſe, qui eorum, quos in prouincias mittebat, multo antè nomina edebat, vt ſi quod eorum vitium apparuiſſet, aliis prouincias committeret. Acer ac ſolers fuit quidem Alexander, ſi quis alius, tamen homo fuit, ac decipi potuit.

Sed liceat mihi per humanitatem tuam pauca adhuc loqui: ea fortaſſe audiſſe non pœnitebit. Quia ſunt nonnulli Principes, qui de vnius alteriúſve aulici *Princeps in conferendis honoribus ne ſtatim fidat certis aulicis aliquos proponẽtibus, & laudantibus.*

 ſententia

ſententia & opes,& honores diſtribuunt,omniáque gerunt: tu aulicorum ignotos tibi homines laudantium, vænale ingeniũ ſuſpectum ſemper habeto. Nimirũ *nuſquam tuta fides,aut amor.* Tyberius quàm multa peccauit à Seiano, quem vnicè dilexerat,ac etiam(quod mirere) timuerat, ſæpiſſime deceptus? Seiani *propinqui & affines honoribus augebantur. Vt quiſque Seiano intimus, ita ad Cæſaris amicitiam validus. Contrà quibus infenſus eſſet, metu ac ſordibus conflictabantur. T. Sabinum illuſtrem Equitem Romanũ, Latinius Latiaris,Porcius Cato,Petitius Rufus,M.Opſius prætura functi adgrediuntur* CVPIDINE CONSVLATVS, AD QVEM NON NISI PER SEIANVM ADITVS NEQVE SEIANI VOLVNTAS NISI SCELERE QVÆREBATVR. At illéne eſt Seianus, qui *fulgorem honorũ ſe numquam precatum,ſed excubias ac labores, vt vnum ex militibus pro incolumitate Imperatoris malle iactabat*? Ille ipſe. Sed ſit,Chriſtiane Princeps,ante oculos tuos Galbę imperiũ, *in quo afferebant vænalia cuncta præpotentes liberti:ſeruorũ manus ſubitis auidæ & tamquam apud ſenem feſtinantes.* Audi quæ illi ab Othone exprobrantur. *Septem à Neronis fine menſes ſunt, & iam plus rapuit Hycelus, quàm quod Policleti, & Vatinij, & Ægij, & alij parauerunt.* Non tibi Claudium, aut Neronem,ſed Galbam propono, virum ſapiẽtiæ fama clariſſimum,vt magnos etiam viros à ſuis deceptos eſſe intelligas. Quàm porrò verum bonos,cautos,aptos perſæpe vendi Imperatores. Summatim dicam. Et miſerandus Galbæ exitus,& miniſtrorũ auaritia & luxu ſeditiones perſæpe excitatæ; & amiſſæ prouinciæ;& pæne obſcuratum Romanum nomen ſatis te monent, ne aulicorum, fumum iampridẽ venditare conſueſcentium, & *cuncta vænalia afferentium*,ingenio temere credas.

Tac.

Tac. lib. 5.

Tac. lib. 4.an.

Tac. lib. 1.Hiſt.

Vxoris qroque inſidiæ Principi non

Et ab vxoris inſidiis tibi non mediocriter cauendum eſt: nam permulti Principes coniugum prauitate corrupti

Digitized by Google

Tac. lib. 3. an. corrupti ſæpiſſime in indignos extulere. Muliebrem *non* *mediocriter cauenda.* *imbecillem tantum & imparẽ laboribus ſexum, ſed ſi licentia adſit ſæuum, ambitioſum, poteſtatis auidum*, aiebat olim Seuerus Cecinna. De Agrippina Claudij vxore hæc Tacitus cõ-

Tac. lib. 12. memorat. *Nondum tamen ſumma moliri Agrippina audebat, ni prætoriarum cohortium cura exolueretur Luſcius Geta, & Ruſus Criſpinus, quos Meſſalinæ memores & liberis eius deuinctos credebat. Igitur diſtrahi cohortes ambitu duorum, etſi ab vno regerentur, intentiorem fore diſciplinam, aſſeuerante vxore, transfertur regimen cohortium ad Burrum Afranium egregiæ militaris famæ, gnarum tamen cuius ſponte præficeretur.* An tu putas vnam Agrippinam dominationis arcana calluiſſe? Aliæ innumeræ fuerunt olim, ſúntque etiam (crede mihi) erúntque mulieres, quas ſtolatos Vlixes iure nominaueris.

Vnum hoc addo hac in re, & modum facio.

Tyberij, quæ eius fuit ſiue ſocordia, ſiue inuidia, ſiue *Princeps, ne ſuorum imperia continuet.*

Tac. lib. 1. an. anxium iudicium, imperia continuare mos fuit, ac *pleroſque ad finem vitæ in iiſdem exercitibus, aut iuriſdictionibus habere*; id quod quàm tyrannicum ſit vel ex eo conſtat, quòd ea inter paucos coërcentur, quæ pluribus patere deberent. Quàm autem id ipſis Prncipibus periculoſum ſit, vnus Seianus (vt de aliis taceam) edocet, qui diutur-

Tac. lib. 4. nis atque interruptis honoribus elatus, Druſum, vnicũ Tyberij filium veneno extinxit, ipſúmque Tyberium ſuum parũ abſuit, quin vita & imperio priuaret. Quàm id rurſum vniuerſæ Reip. exitioſum ſit, C. Cæſaris exemplo comprobatur, cuius diuturnum & continuum imperium Romanæ Reip. libertatem abſtulit. Quid verò mireris, ſi hic ipſe Cæſar ex bello Africano in vrbem reuerſus, lege poſtmodum cauerit, ne Prætores vltra an-

Dio lib. 43 an. 708. num, Conſules verò vltra biennium continuarent imperium! Nempe memoria tenebat, ſe non alia re magis, quàm

Digitized by Google

quàm imperio continuando dominandi cupiditate incenſum fuiſſe. Huius tu potius conſilium ſequere, quàm Tyberij, & Mammercum Dictatorem audi, MAGNAM REIP. CVSTODIAM eſſe docentem, honores interrumpere. Sanè ſic habeto. Vt arbores, quæ diu humi inhæſerunt, altáſque radices egerunt, ægrè admodum euelluntur; ſic ei, qui diutius imperauit, non tam honos, quàm ipſum cor, in quo honos altè radices fixerat, plerumque aufertur. Quantæ porrò hinc turbæ! quantus furor! quanta pernicies! Facile tot malis occurres, ſi neminem ſiueris in magnis imperis conſeneſcere. Plutar. in eius vita.

Dominus erigit eliſos.

Diuina clementia.

TAnta eſt diuina erga humanum genus clementia, vt hominem quantumlibet graui peccatorum ſarcina onuſtum, quacumque hora ingemiſcentem, commiſſámque culpâ deteſtantem, in ſuam gratiâ recipere non grauetur. Scilicet, *Miſerator & miſericors Dominus, longanimis & multum miſericors. Non in perpetuum iraſcetur, neque in æternum comminabitur. Non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuit nobis. Quoniam ſecundùm altitudinem cœli à terra corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Quantum diſtat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates noſtras.* Erga Hebræos quamuis contumaces ingratíque animi vitio infames, quàm clemens diuinum Numen extiterit, paſſim in ſacris litteris videas. *Cor autem eorum* (inquit noſter Vates) *non erat rectum cum eo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius. Ipſe autem eſt miſericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non diſperdet eos. Et abundauit, vt auerteret iram ſuam, & non accendit omnem iram ſuam. Et recordatus eſt, quia* Pſ. 102. Pſal. 77.

caro

Digitized by Google

caro ſunt, ſpiritus vadens & non rediens. Longior ſim, actúmque agã ſi tibi ſingula diuinæ clementiæ exẽpla recenſere velim. Quid multa? Rerum à ſeipſo geſtarum librũ quiſque conſulat. Conſcientiam, inquam, ſuam quiſque rimetur, ac demum inſignem erga ſe diuinam clementiam extitiſſe, ingenuè fatebitur.

Quamquam nonnulla ex mortalium Principum ædibus exempla clementiæ proferre poſſumus; ea tamen admiranda, quia rara. Plerumque enim furor ſæuitiáque dominatur. In principatu Tyberij quamlate graſſata crudelitas eſt, in quo cum iis redibatur in gratiam, quorum cædes maturabatur? In quo ipſæ matres (horrendum dictu) quòd filios vltimo ſupplicio affectos deflerent, accuſabantur, iuſſúque Senatus Principis libidinibus flagitioſiſſimè obſequentis velut maieſtatis crimine conuictæ necabantur! In quo innumeri, cùm eius temporis acerbitatem ferre nequirent, inedia, veneno, ferro (hanc vnam rati patere ſalutis viam) ſibi vitam abſtulere! Caligulæ, hoc eſt, natricis Reip. & Phaethontis orbis terrarum quanta feritas fuit, qui populo Romano vnicam ceruicem optauit? Quis non perhorreſcat, ac totis artubus contremiſcat ſęua Sexti Neronis tempora, memoria repetens, qui ſibi illo die datum imperiũ profeſſus eſt, quo mater necata fuit! In quo vno, tamquã in ſuo regno ac domicilio crudelitas ad ſuas vires oſtẽtandas cõſediſſe, ſuúmque vexillum ſuſtuliſſe viſa eſt! Alios etiam nõnullos non dicã Imperatores ac Reges, ſed portenta, ſed naturæ hoſtes, humanæque ſocietatis flammas ac turbines prætereo. Obuij paſſim Hiſtorici, à quibus iſtorum portentorum prodigioſa ſæuitia tamquam in theatrum producta eſt.

Terrenis Principibus charior eſt ſæuitia quã clementia.

Sed quid vetuſta ſequor? quid profanorum hominum feritatem accuſo? Vndénam (vt alia innumera prætermit

Q termit

Digitized by Google

termittam) vndénam, inquam, tyrannica illa vox erupit, quam noſtrorum Principum quamplurimi iactare iampridem conſueuerunt, ODERINT DVM METVANT? Num ex Euangelio? Minimè verò, ſed ex veteribus illis tyrannis, qui crudelitate imperia fortiùs firmari ac ſtabiliri exiſtimantes, non minus turpe eſſe ducebant miſerorum hominum ærumnis ac precibus flecti, quàm armis hoſtilibus vinci. Vbínam in Rep. Chriſtiana clementia illa, quam tam frequẽter Chriſtus nobis inculcat, & quam olim ſanctiſſimi quidã reges tamquam certiſſimam optimámque regnorum ducem ſunt ſecuti? Eò (proh dolor!) furoris ac immanitatis peruentum eſt, vt ab aliquibus, nec ſacris interdum aſylis parcatur, vt vel ab ipſis aris (Epiſcopis reclamantibus) miſeri quidam Dei hominúmque opem implorantes auellantur. Eſt eſt, qui quærat & iudicet. Eſt, qui verſutiam iſtam, quam regiam prudentiam, regiúmque decus nebulones quidam perperam nominant, Deo & Chriſtianæ Reip. inimicam ſpoliabit aliquando ac perdet.

Princeps durum ſeſe prabet aulico, qui lapſus fuerit.

Ad rem tuam venio aulice. Si recentes firmiſſimæque naues interdum periclitantur, ſi nec ipſe portus tutus eſt aliquando; quid illis nauibus fiet, quæ præ vetuſtate fatiſcunt, ac medio iactantur mari? Si (apertiùs loquar) in iſto fortunæ ſalo innocentes, vt ſuperiùs dictũ eſt, multis periculis obnoxij ſunt, quid tibi contigerit, ſi vel tenuem rimulam egeris, ſi leue quippiam peccaueris? Mirum profectò, ni naufragium facias, ac magno cum dedecore peſſum eas. Ecce ſtatim inuidi, ac maleuoli, occaſionum haud ſegnes, *accendendis offenſionibus callidi, intendere vera, adgerere falſa*, atque (vt ita dicam) exculice elephantem facere, nec ante deſinere, quàm Principis gratia & domo exturbatus fueris. Tac. lib. 2. an.

Atqui

Digitized by Google

Atqui ad eius (inquis) genua prouoluar, pœnam ſupplex deprecabor, in priſtinam gratiam recipiar.

Optimè. Ad illas quoque machinas confugito, ſi lubet, quibus Iudicum animos flecti ac permiſceri Rhetores docent. Sed quid ô miſer teipſum fallis? Ne innocentium quidem precibus perſæpe crudelitas mouetur; flectetur tuis? Inexorabilem (crede mihi) oras Rhadamanthum. *Flecti non minus* [Principes] *exiſtimant turpe quàm vinci.* Seneç. de ben. lib. 6. cap. 30.

Quanto igitur melius facies aulice, ſi te totum clementiſſimo Deo tradideris, *qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus, qui replet in bonis deſiderium tuum!* Pſ. 102.

Agè poſteaquam ſi naufragium feceris ac peſſum ieris, vix vlla ſupereſt ſpes (tanta eſt plerumque mortalium Principum crudelitas) è fluctibus emergendi: *Quæ aulico vitãda ſint, quæve ſequenda, ne ſui Principis gratiã amittat, declaratur.*

Horat. *---Dum tua nauis in alto eſt*
Hoc age, ne mutata deorſum te ferat aura.

Pauca hæc monita, quæ nonnullos in perdifficili iſta nauigatione (diuino adſpirante Numine) à naufragio ac ſcopulis liberarunt, accipito.

Caue primùm, ne quicquam de priſtina erga tuum Principẽ obſeruantia remittas, néve ſecundis rebus fatigeris: ſi enim tuimet oblitus, *nimia fortuna ſocors,* vt olim Seianus, *factus fueris, in aëre, crede mihi, piſcaberis* (tepeſcente Principis amore) aliíſque aulicis in eius interim gratiam irrepentibus) *venaberis autem iaculo apros in medio mari.* Ecce tibi exemplum è ſacris litteris. De Eſau hæc leguntur in Geneſi. *Iſaac amabat Eſau eo quòd de venationibus illius veſceretur.* Hinc Eſau illa animi ſecuritas numquam amittendi principatus paternæque benedictionis: hinc illa oſcitantia, *comedit, & bibit, & abiit* (ſcriptum eſt ibidem)

1. *Secordia fugienda.*

Tac. lib. 4. an. Plaut. in Aſin.

Gen. 25.

Gen. 25.

Digitized by Google

dem) *paruipendens quòd primogenita vendidiſſet.*

Quàm multi Eſau imitatores facti, quòd ſuorum Principum effrænatis cupiditatibus lepidè lenocinentur, quódque *ſcientia voluptatum*, vt olim Tigillinus, *potiores ſint*, ita inſoleſcunt, vt ſe non iam aulicos, ſed ipſos Principes eſſe putent? Quàm multi eò ſocordiæ delabuntur, vt abiecta cura Principis, deſidiam ac ſomnum tamquam ſumma quædam Numina venerentur? Tac. lib. 16.

Tu, quàm Seiano, & Eſau malè ſocordia ceſſerit, conſiderato. Ille ſui Principis gratiam: hic ſuæ familiæ principatum amiſit.

Vt ſocordia vitetur accepta beneficia aſſiduè tractentur.

Omnino quanto plura adeptus es, tanto te magis eſſe in lubrico exiſtimes. Sic Tyberius *cuncta mortalium incerta, quantóque plus adeptus foret, tanto ſe magis in lubrico eſſe* dictitabat. Hac itaque anchora fluctuãtem nauim tuam ſiſtito, ASSIDVA nimirum BENEFICIORVM ACCEPTORVM TRACTATIONE, atque ita ruinæ periculum facile vitabis. *Quemadmodum* (ait noſter Seneca) *quæ in vſu ſunt, & manũ quottidie tactũmq; patiuntur, numquam periculum ſitus adeunt, illa, quæ ad oculos non reuocantur, ſed extra conuerſationem, vt ſuperuacua iacuerunt, ſordes ipſa colligunt vetuſtate, ita quicquid frequens cogitatio exercet ac renouat, memoriæ numquam ſubducitur, quæ nihil perdit, niſi ad quod non ſæpe reſpexit.* Planè ſi ſubinde accepta beneficia tractaueris, & quid Principi tuo debeas libéter recognoueris, tantum abeſt, vt bona fortuna inſoleſcas, ſocorſve fias, vt nullam vmquam occaſionem prætermiſſurus ſis, qua gratum animum tuum patefacias. Cæterùm, vt beneficiorum memoriam conſerues, ſpes tibi (vt ſuprà monuimus) intra ſuos terminos coërcẽda eſt. MEMORIÆ MINIMVM TRIBVIT (ait idem auctor) QVISQVIS SPEI PLVRIMVM. Nimias aulicorum cupiditates æruginis inſtar eſſe nõ ineptè dixeris, qua iſtius memoriæ

Tac. lib. 1.

Seneca lib. 3. de benef.

Senec. lib. 3. de ben.

tuæ

Digitized by Google

tuæ anchora exeditur conficitúrque.

Præterea periculoſiſſimam tibi eſſe putato OSTEN- 2. *Oſtentatio agendi vitanda.*
TATIONEM AGENDI; quippe ex qua exiſtit inuidia,
magnus aulæ turbo Ea igitur, quæ agenda ſunt, age, ſi-
ne vlla oſtentatione agendi. Quidam putidæ iſtius dili-
gentiæ oſtentatores, dum ex ſe vnis totam Principis do-
mũ, atque adeò totã Remp. pendere volunt, cúmque ita
agant, vt quicquid non faciunt ipſi, damnare videantur,
tantam ſibi perſæpe inuidiam conflant vt ceu infames
ſcopuli ab omnibus fugiantur. In eos illud non inſcitè
cõtorſeris, quod olim in Metiochũ quemdã iactabatur,
*Μητίοχος δὲ πάντα κεῖται, Μητίοχος δ᾽ οἰμώξεται. Metiochus fit
cuncta ſolus. Metiochus plorauerit.* Non exigua profectò lau-
Tac. lib. 3. an. de dignus ille Salluſtius Criſpus mihi ſemper viſus eſt, *cui
ſuberat vigor animi ingẽtibus negociis par, eo acrior, quo ſomnum
& inertiam magis oſtentabat.* Næ ille regiam viam ingreſ-
ſus erat. Nempe

Senec. in Oedipo. *Certiſſima eſt regnare cupienti via
Laudare modica, & ocium ac ſomnum loqui.*

Et bonorum tuorũ (maximè ſi qua inſigni arte pręcel- 3. *Bonorũ ſuorum oſtentatio fugienda.*
las) oſtentationem fuge atque iactantiam. Nimirũ Prin-
cipes aliena faſtigia tamquã tenuitatẽ ſibi exprobrantia,
ægris plerũq; oculis aſpiciũt. Sed & ęqualiũ inuidiæ atq;
inſidiis valde obnoxij fiunt, qui res ſuas abdere neſciunt.
Quàm priuatis hominibus periculoſum ſit ſua facta au-
daciùs cõmemorare, meritáq; exaggerare, C. Silius apud
Tac. lib. 4. an. Corneliũ ſatis edocuit. *Credebant plerique* (inquit ille) *auctã
offenſionem ipſius intẽperantia immodicè iactantis ſuum militẽ in
obſequio durauiſſe, cùm alij ad ſeditiones prolaberẽtur, neque mã-
ſurũ Tyberio imperiũ, ſi iis quoque legionibus cupido nouãdi fuiſſet.*
DESTRVI PER HÆC FORTVNAM SVAM CÆSAR
IMPAREMQVE TANTO MERITO REBATVR.
Nam beneficia eò vſque læta ſunt, dum videntur exolui poſſe;

vbi multum anteuenere, pro gratia odium redditur. Quæris qualis fuerit Silij exitus? En ille. *Silius imminentem damnationem voluntario fine præuertit.* Lucernam (vt aiunt) accendam in meridie ſi exemplis probare coner, quantis damnis iſti bonorum ſuorum oſtentatores ab æqualibus affecti ſint. Tac. ibid.

Quare ſi quippiam habueris, quod Principem offendat, quódve alienam cupiditatem acuat irritétque, ſic ſanè inuidiá effugies, ſi non abhorrueris à publicis moribus, ſi te non ingeſſeris oculis, ſi ſcieris ſine pompa ſapere, atque in ſinu gaudere. Ego profectò malim deliteſcere, atque contemni, quàm vana bonorum meorum oſtentatione, alienã inuidiam ſubire, quippe qui ſciam nonnullis remediis loco CONTEMPTVM fuiſſe. *Nemo homini contempto (* docet Seneca *) pertinaciter, nemo diligenter noſcet. Etiam in acie iacens præteritur, cum ſtante pugnatur.* Seneca ep. 105. Quomodo ipſemet Seneca ſe geſſerit *cùm variis eum criminationibus inuidi adorti ſunt, tamquam ingentes & priuatum ſupra modum euectas opes adhuc augeret, quódque ſtudia ciuium in ſe verteret, hortorum quoque amœnitate & villarum magnificentia quaſi Principem ſupergrederetur*, ſic explicat Tacitus. Tac. lib. 14. *Inſtituta prioris potentiæ commutat, prohibet cœtus ſalutantium, vitat comitantes, rarus per vrbem, quaſi valitudine infenſa, aut ſapientiæ ſtudiis domi attineretur.*

Occurrit Aloyſij Sylueiræ, qui fuit Emmanueli Regi Luſitaniç à conſiliis, celebre apud Hiſpanos exemplum, ex quo ſatis apparet, quãtopere prudenti aulico ſapientiæ apud ſuum Principem oſtentatio fugienda ſit. Cùm à ſummo Pontifice ad Emmanuelem litteræ magno ingenio elaboratę perlatæ fuiſſent; Rex cùm Aloyſio conſultauit, ſtatuítque quid reſcribendũ foret. Cùm itaque iuſſit ſuo marte epiſtolam componere, addidítque ſe quoque velle in eamdem rem calamum ſumere, eloquentiæ

Digitized by Google

quentiæ namque laudem vtqui maximè affectauit Emmanuel. Senſit illicò Aloyſius quàm anceps ac periculoſum ſibi foret congredi cum Rege victoriæ auido, paruit tamen, quamquam inuitus, epiſtolámque pro ſuo ingenio compoſitam, poſtridie ad eum attulit. Ea vbi recitata eſt, ſubriſit Rex, manúque Aloyſij apprehenſa: Viciſti, inquit, Aloyſi. Epiſtola tua planè digna eſt, quæ ob nitorem & acumen Romam mittatur. Et mittetur. Meam vix lectu dignã puto. Erubuit Aloyſius, & gratiis de more actis, è veſtigio domum ſuam reuerſus, equos inſterni iubet, atque vnà cum liberis in ipſo meridie, nullo cibo prægustato, magnóque ſilentio, ſolum vertit. Vt extra vrbem fuere; ſubſtitit paululum Aloyſius, & ad liberos conuerſus: Aliò aliò, inquit, ô filij, nobis migrandum eſt, nec enim in eo regno diutius viuere licet, in quo ſciat Rex me ſibi ingenio ac doctrina præcellere. Nempe vir prudens illud diuinæ ſapientiæ oraculum memoria tenebat: CORAM REGE NOLI VIDERI SAPIENS. Sanè cùm animi bona corporis fortunæque bonis longè præcellant, meliorem ſibi partem Princeps auferri ab eo, ac proinde felicitatem ſuam deſtrui putat, qui ingenio ac ſapientia ſecum certare velit.

Denique vt aulę Syrtes, atque Charybdes, tuta incolumíque nauicula, euadas: caue ne tibi vmquam perſuadeas te tua virtute, ſed diuinitus Principis tui gratiã adeptum: ſic enim fiet, vt ſemper te moderatè geras, diuinámque opem, qua cuncta firmantur, promereare. 4. *Aulicus nũquam ſibi perſuadeat, ſe ſua virtute, ſed diuinitus Principis gratiam conſecutum.*

At peritiſſimos aliquando nautas, inquis, naufragiũ feciſſe, vnáque cum naui demerſos: & optimis interdum aulicis dexteritatem ingenij, induſtriam, integritatémque morum parum bene ceſſiſſe: inanem proinde innocentiam in aula, inania vitæ præcepta. *Quæritur an vitæ præcepta negligenda ſint aulico eo quòd interdum malè cedant.*

Quid?

vino ac ſomno indulget; haud vmquã gubernaculum, & acum nauticam abiicit, ſed vigil ac ſobrius omnes vires ſuas, omne ſuum ſtudiũ ad fluctuum immanitatem ſuperandam intendit; ſic profectò, nec prudentiam vitæque præcepta contempſerit bonus aulicus; quis enim quæſtus ex temeritate præceptorúmque cõtemptu? Hìc ſanè, vt quod dubium erat exitium, certum fiat, vt caſus in culpam tranſeat, vt tuæ demum ipſius infelicitatis artifex iudiceris. Sed hæc aulicis dicta ſunto.

Diximus, quàm prępotenti Deo amica ſit CLEMENTIA, quàm è contrario pleriſque terrenorum Principum inimica. Diximus item, quàm bene ſpes noſtra in Deo collocetur, qui ERIGIT ELISOS. Diximus demum, quæ aulicis agenda quæve vitanda ſunt, vt crudelitatem effugiant. Iam quantum hæc ipſa clementia ſplendoris, quantúmque roboris afferat Principibus explicandum eſt.

Princeps ad clementiam excitatur.

Si glorię ſtudio teneris Chriſtiane Princeps, ſi diuinitatem quodámodo affectas in terris, *nulla re* (vt ita cum Cicerone loquar) *propius ad Deum accedes, quàm ſalute hominibus danda.* Audi, rogo, quibus verbis Gregorius Nazianzenus Imperatorem Nazianzenis ciuibus iratum lenire ſtuduerit. *Nihil* (inquit ille) *tam diuinum habet homo, quàm beneficentiam. licet tibi nullo labore diuinitatem aſſequi. Alij opes ſuas effundunt: alij exhauſtam carnem ſpiritui mancipant, & ſe à mundi conſortio abripiunt, alij chariſſima pignora Deo conſecrant, nec enim tibi Abrahæ ſacrificium inauditum eſt. Horum nihil à te poſtulamus, ſed* CLEMENTIAM *tantùm in tuos.* Hæc ipſa tibi dicta putato.

Cic. pro Ligar. Gregor. Nazian. ad ciues Nazian. & Imp. iraſcentem.

Obiicitur nihil in Rep. pernicioſius eſſe impunitate.

Atenim impunitate nihil in Rep. pernicioſius, quippe qua ſontes ad deteriora ſemper inuitantur, præmio & pœna è ſententia Solonis Reſp. continetur. Vt virtuti præmium debetur, ſic & vitiis pœna. Et Cato ſenior,

R ánnon

Digitized by Google

ánnon aiebat, malle ſe pro collato beneficio nullam reportare gratiá, quàm pro maleficio perpetrato nullam dare pœnam? Nimirum viri ſapientes videbant clementia imperium eneruari, ſeueritate ſtabiliri fortiùs. Quid? *Ex veteri more*, vt publicæ ſaluti conſuleretur, *cùm decimus quiſque ignominioſæ cohortis fuſte feriebatur, etiam ſtrenui ſortiebantur*. Cùm ſeruus dominum interfecerat, *familiam omnem, quæ ſub eodem tecto manſitauerat* (in qua & innoxios fuiſſe certum eſt) *ad ſupplicium agi oportebat. Habet enim* (vt Caſſius aiebat) *aliquid ex iniquo omne magnū exemplum, quod contra ſingulos vtilitate publica rependitur*. Et nos eam Remp. firmam integrámque permanſuram putabimus, in qua ſontes & nouiſſima exempla meriti, abeunt impune? Tac lib. 14.

Clementia robur inſigne.

Erras erras, mi Princeps, ſi nullum CLEMENTIÆ robur ineſſe putas. Quæ de clementia Romanæ hiſtoriæ Princeps ad Cæſarem ſcripſerit, conſiderato. *Qui benignitate* (inquit ille) *ac clementia imperium temperauere, his candida & læta omnia fuerunt, etiam hoſtes æquiores, quàm alii ciues*. Salluſt. ad Cæſ.

Non ſic excubiæ, nec circumſtantia tela,
Quàm tutatur amor. Peragit tranquilla poteſtas
Quod violenta nequit, mandataque fortius vrget
Imperioſa quies.

eleganter olim cecinerat Claudianus. Et Seneca, *Non eſt opus*, inquit, *inſtruere in altum editas arces, nec in accenſum arduos colles emunire, nec latera montium abſcindere, multiplicibus ſe muris turribuſque ſepire*. SALVVM REGEM IN APERTO CLEMENTIA PRÆSTABIT. VNVM EST INEXPVGNABILE MVNIMENTVM AMOR CIVIVM. Quid hominum teſtimonium adduco? Ipſemet Deus ánnon ſic locutus legitur per Salomonem, MISERICORDIA ET VERITAS CVSTODIVNT REGEM Senec. lib. 1. de Clemen. Prou. 20

Digitized by Google

REGEM ET ROBORATVR CLEMENTIA THRONVS EIVS? Non eſt cur te multis exemplis fatigem. Vno alteróve clementiæ robur comprobabitur.
Iuſtin. lib. 1. Clementia, qua vſus fuiſſe legitur Cyrus erga Regem Lydiæ, non minus profuit victori, quàm victo: ea enim Græcorum (Crœſi nimirum ſtudioſiſſimorum) animos ſibi Cyrus in perpetuum deuinxit. Sed clariſſimum eſt ac numquã ſatis pro dignitate laudatũ Auguſti Cæſaris
Senec de Clem. lib. 1. cap. 9. exemplũ. Hic Liuiæ conſiliũ ſecutus L. Cinnam adoleſcentem nobilem, ac Magni Pompei Nepotem, ſed hominem turbulentum, ac inſidiatorem, prope ſe ſedere iuſſum, dimiſſis omnibus è cubiculo, ſic allocutus legitur. *Vitam tibi Cinna iterum do, prius hoſti, nunc inſidiatori, ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos incipiat amicitia. Contẽdamus vtrùm ego meliore fide tibi vitam dederim, an tu debeas. Poſt hæc detulit vltro conſulatum, queſtus quòd non auderet petere. Amiciſſimum fideliſſimúmque habuit. Hæres ſolus fuit illi.* Hactenus Seneca. Certè poſteaquam tanta in Auguſto eluxit clementia, omnes in eum conſpirationes ita compreſſæ ſunt, vt nemo vmquam eius vitæ deinceps inſidiari auſus fuerit, id quod idem auctor his verbis confirmat, NVLLIS AMPLIVS INSIDIIS AB VLLO PETITVS EST.

Quid plura? Illi ipſi Tyranni, qui non ex cauſſa & neceſſitate ſæuiunt, vt Reges, ſed ex voluptate, vt furentem multitudinem compeſcerent, clementiæ pallio ſuam aliquãdo feritatem tegere geſtierunt. Sic Tyberius poſteaquam Clementem illum, qui ſe Agrippam ementitus fuerat, per fraudem in ſecreta palatij parte interfici iuſ-
Tac. lib. 2. an. ſit; *quamquam eum multi è domo Principis Equitéſque ac Senatores ſuſtentaſſe opibus, iuuiſſe conſilijs dicerẽtur, haud quæſitum.* Et Nero Puteolanorum ſeditionem, *quæ ad ſaxa & minas*
Tac. lib. 3. an. *ignium progreſſa, necem & arma perliceret*, cõpreſſit cohortis

R 2 præto

prætoriæ terrore, *& paucorum ſupplicio, reditque oppidanis concordia*: nouerant enim clementiæ magnum ineſſe robur, ac proinde cupiebant, vt quæ in ipſis calliditas erat, eam plebs clementiâ benignè interpretaretur. Ecquiſnam hæc legens non fateatur clementiam imperiorum eſſe certiſſimam ſalutem.

Clementia ſit cum iudicio ac modo.

Equidem non me latet ſpem impunitatis magnam illecebram eſſe peccandi. Sit itaque cum iudicio ac MODO, qui meritò dicitur ANIMA VIRTVTVM clementia. Ita nempe viuendum eſt Principi, vt nec ei facilitas auctoritatem, nec ſeueritas amorem diminuat. *Tam omnibus ignoſcere crudelitas eſt* (doctè ſapientérque noſter Seneca) *quàm nulli.* Et Lactantius: *Qui autem commouetur* (inquit) *intempeſtiua lenitate, vel ſæpius, quàm neceſſe eſt, vel etiam ſemper ignoſcit, is planè & illorum vitam perdit, quorum audaciam nutrit ad facinora maiora, & ſibiipſi æternam moleſtiarum materiam ſubminiſtrat.*

Seneca lib. 1. de Clem. Lactan. de ira c. 18.

Seueritas clementia mitiganda.

Enimvero dura nimis ac ſæua eſt Catonis iſta gubernandi ratio, cuius meminiſti. Seueritatem clementia mitigandam eſſe, optimi quique Politici docuere. Sed & Romani nónne ad ſtabiliendum ac tuendum imperium, ſuam artem eſſe putarunt

Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos? Virg. 6. Æn.

Priſcæ iſtius ſeueritatis ritus (ſi tamen ea ſeueritas dicenda eſt, quæ fuit mera crudelitas) faceſſat longiùs. Quàm turpe atque iniquum fuerit (vt metus ad omnes, pœna ad paucos perueniret) ſtrenuos quoque milites vnà cum ignaua multitudine ſortitione ad ſupplicium legi, nemo non videt. Sed & exemplum iſtud in Pedanij vel innoxios ſeruos editum aliquid ex iniquo habuiſſe, iſta ipſa Caſſij oratio fatebatur. Et nos à ſacroſanctę Religionis noſtræ proceribus ita inſtituti ſumus, vt nefas eſſe putemus, vllum quamquam leuiſſimum peccatum perpe

Digitized by Google

perpetrare, etiamſi vniuerſum humanum genus, eius beneficio ab interitu vindicare poſſemus.

Itaque bonorum potiùs parentũ, & Medicorum hac in re tibi ô Princeps conſiliũ ſequendũ arbitror. *Parentes obiurgare liberos nonnũquam blandè, nonnumquã minaciter ſolent, aliquando admonere etiam verberibus. Nũquid aliquis ſanus filiũ ad primã offenſam exhæredat? Niſi magnæ & multæ iniuriæ patientiã euicerint, niſi plus eſt quod timet, quàm quod dãnat, non accedit ad decretoriũ ſtylũ. Multa antè tentat, quibus dubiã indolẽ & peiore loco iam poſitã reuocet; ſimul deplorata eſt, vltima experitur. Nemo ad ſupplicia exigenda peruenit, niſi qui remedia conſumpſit.* HOC QVOD PARENTI ETIAM PRINCIPI FACIENDVM EST, QVEM APPELLAVIMVS PATREM PATRIÆ, *non adulatione vana adducti.* Hæc Seneca.

Senec. lib. 1. de Clem. c. 14.

Medici nihil pernicioſius putant, quàm intẽpeſtiuis acrioribúſque remediis morbos irritare. Certè non ita pridẽ nos amicum laterũ dolore correptũ, furioſis Chimiſtarum remediis ſubitò raptum luximus. Medicos rerumpublicarum adminiſtratores dici haud nouum. *Legũ Præſidem* (inquit idem auctor) *ciuitatiſque Rectorem decet quãdiu poteſt verbis & his mollioribus ingenia curare, vt facienda ſuadeat, cupiditatémque honeſti & æqui conciliet animis, faciátq; vitiorũ odium, pretium virtutũ; trãſeat deinde ad triſtiorẽ orationem, qua moneat adhuc & exprobret, nouiſſimè ad pœnas, & has adhuc leues & reuocabiles decurrat. Vltima ſupplicia ſceleribꝰ vltimis ponat, vt nemo pereat, niſi quẽ perire etiam pereũtis interſit.*

Seneca lib. 1. de ira. c. 5.

Næ ille agricola & bonus parens & ſapiens Medicus fuit, cui mos erat *paruis peccatis veniam, magnis ſeueritatem accommodare, & qui* NEC POENA SEMPER SED POENITENTIA CONTENTVS ERAT. Contrà non mediocriter à viris doctis Cn. Pompei iudiciũ deſideratur, quòd tertio ſuo conſulatu *corrigendis moribus dilectus,*

Tac. in vita Agric.

R 3 &

Digitized by Google

& grauior remediis, quàm delicta erant, ſuarúmque legum auctor idem ac ſubuerſor, quæ armis tuebatur armis amiſit. Tac. lib. 3. an.

Hæc eſt ſumma totius rei. Omnino modus tenendus eſt; *ſed quia difficile eſt temperamentum* (vide Chriſtiane Princeps quid Seneca, homo vnius naturæ ductum ſecutus, decernat) *quicquid æquo plus futurum eſt*, IN PARTEM HVMANIOREM PRÆPONDERET. Seneca lib. 1. de Clemen. c. 2.

Princeps ne illum aſperius tractet qui leuiter obiurgatus reſipiſcet.

Quid igitur in exilium ac malam crucem eiicitur ille, indignúſque pronunciatur, qui huius lucis vſura diutius fruatur, quem leuis forte obiurgatio, vel nutus aliquis ad bonam frugem reuocaſſet? Quid ea delicta aſperiùs crudeliúſque irritantur, quæ leniùs molliúſque tractata facile ceſſiſſent?

Quidni potiùs (antequam vltima experiare) verbis illis VALERIÆ LEGIS (hoc eſt, ſummæ fidiſſimæque antiqui pudoris cuſtodiæ) IMPROBE FACTVM vteris, quibus auſim affirmare longè felicius olim ſcelera coërcita, quàm ſeuerioribus iis legibus, quibus virgarum, proſcriptionis, exilij, capitis pœna proponebatur, nec timebatur? An illud Senecæ ignoras, VERECVNDIAM PECCANDI FACIT IPSA CLEMENTIA REGENTIS? Ecquiſnam regum tutus euaderet ſi ſtatim delicta potentium Deus fulminibus perſequeretur? Placatur ille, & vno ſæpe gemitu placatur. Homo homini implacabilis erit? Agè ſi tibi propitium diuinum Numen eſſe cupis, talis tu eſto ciuibus, aulicíſque tuis, qualem tibi Deum eſſe vis. Liu. lib. 10.

Dominus diligit iuſtos.

Diuina erga viros iuſtos beneuolentia.

VIrtutum omnium cultores diligit. Non Dauid modò, ſed omnes ferme, qui de moribus libros conſcripſerunt, IVSTITIÆ nomine cæteras omnes virtutes comple

complexi ſunt, dixerúntque ex ea bonos viros nominari: *nihil eſſe liberale, quod non idem ſit iuſtum, nihil honeſtum eſſe poſſe, quod iuſtitia vacat.* Cic. de off.

Vſqueadeo eos, qui corporis voluptatibus ſpretis omnia ſua ſtudia & actiones ad cœleſtia puriſſimáque conuertunt, diligit Deus, vt eximium erga eos amorem præſeferens, modò ſemet blandiſſimæ matri, quæ ſuo infantulo genibus excepto ſuauiſſimè blanditur: modò adoleſcentibus, qui formoſas puellas non amant ſolùm, ſed etiam depereunt, ſæpiſſime comparauerit.

Iſtúdne de terrenis Principibus dicas, apud quos pluris ferè ſunt lenones, ſycophantæ, ſcurræ, aliíque eiuſdem farinæ homines, quàm viri iuſti ac ſapientes? *Terreni Principes viris iuſtis infenſi.* Scio nonnullos Principes eſſe, qui ſapientum virorum conſuetudine adeò oblectantur, vt eum diem ſe perdidiſſe putent, in quo nullum cum eis de rebus ſeriis ſermonem habuerint; norunt enim eorum, quibuſcum verſantur, famam ſuam eſſe, plurimúmque ad res cùm animi, tum corporis conſtabiliendas, valere ſapientum orationem, & conſuetudinem. Scio & aliquos eſſe, qui viros bonos ac doctos ſic amant ſuſpiciúntque, vt ex iis, tamquam ex oraculis pendeant toti, nihílque probent, niſi quod probent ipſi, eorúmque inſtar, qui lucernæ, qua opus habent, oleum ſubinde infundunt; iis, quorum ſapientia illuſtrantur, ea quæ ſunt ad vitam neceſſaria liberaliſſimè ſuppeditant: ſed qua fronte Princeps ille dixerit à ſe iuſtos diligi, qui algentem virtutem fouere non vult? qui vitioſos ac perditos homines, iuſtis aſſiduas inſidias tëdentes, alit, beneficiis ornat, habétque contubernales? qui iuſtos deludi hoſtilitérque tractari ſinit, eorúmque conſuetudine ſe priuari non ſolùm non moleſtè fert, ſed etiam gaudet? qui demum ſuæ inſcitiæ tenebris oblectatus, bonas ar-

tes,

Digitized by Google

tes, hoc eſt, virtutum inſtrumenta odit perſequitúrque, *ne quid vſquam honeſti oculis occurrat?* Tac.

Meritò meritò vir iuſtus Deo ſeſe totum dicat, in eiúſque ſinu *ſicut ablactatus ſuper matrem ſuã* conquieſcit. Pſ. 130. Sanè vt infantulus nuper ab vberibus depulſus, cùm adhuc ſtare nequeat, à matre numquam diſcedit, cæterarúmque mulierum amplexus refugit: ſic vir iuſtus, de ſe moderatè ſentiens, ac terrena cuncta faſtidiens, omnem ſuam curam in Deum iactat, à quo certò ſcit iuſtos diligi.

Aulicus ad iuſtitiam erigitur.

Quanti porrò facienda iuſtitia eſt, aulice, quæ tantum ſui amorem excitat! Iure profectò illam RERVM OMNIVM DOMINAM nominamus, quandoquidem ab eo vnicè diligitur, qui ſummus rerum omnium Dominus eſt. Sed videor mihi te ſic obiicientem audire.

Obiicitur iuſtitiã fortunæ imperio ſubiectam eſſe.

Si Iuſtitia RERVM OMNIVM DOMINA eſt;
Cur tantas lubrica verſat Seuer. Boët.
Fortuna vices, premit inſontes
Debita ſceleri noxia pœna:
At peruerſi reſident celſo
Mores ſolio, ſanctáque calcant
Iniuſta vice colla nocentes?

Quis hæc animaduertens non dixerit IVSTITIAM, tametſi tot Poëtarum carminibus decãtatam, tot Philoſophorum vocibus celebratam, FORTVNÆ IMPERIO ſubiectam, eámque nihil aliud eſſe (vt olim aiebat neſcioquis) *quàm verborum inanium crepitum*? Ecce tibi M. Brutus vir clariſſimus (hic nobis ſit inſtar omnium) qui cùm eò redactus eſſet, vt non iam pedibus, ſed manibus fugiendum duceret, pugione ſibi in pectus adacto, ſic exclamaſſe dicitur: O MISERA VIRTVS, QVAM TV ERAS NVGATORIA, EGO VERO IN TE SERIO EXERCEBAR: VERVM TV FORTVNÆ SERVIEBAS. Dion. in Auguſt.

Digitized by Google

VIEBAS. Porrò ſi virtus meræ ſunt nugæ, ſi fortunæ ſeruit, quid induſtriæ deinceps, quid laboribus tribuendum eſt?

Ipſum FORTVNÆ PRIMIGENIÆ templum (vt alia innumera prætermittam) à Nerone olim extru-
Plin. lib. 36. cap. 22. ctum ex lapide Sphingite, in quo etiam foribus clauſis interdum claritas erat haud alio, quàm ſpeculariũ modo, ſatis indicauit, opinor, FORTVNAM vel in clauſas domos lucem ſuam, hoc eſt, opes atque honores immittere, ſuiſque vel ocio torpeſcentibus ſemper adeſ-
Tac. ſe. Num nouum iis, quibus *inertia pro ſapientia eſt*, victoriam cæteràque bona in ſinum aliquando deuollaſſe? (vno verbo) cuncta è ſententia fluxiſſe? Clarum eſt Timothei Ducis Athenienſis exemplum, cui vel dormienti, ad rete fortuna cogebat vrbes. Hæc ſanè cùm ita ſint, quis non potiùs FORTVNÆ tamquam RERVM OMNIVM DOMINÆ AC REGINÆ, arbitrio ſeſe totum libẽter commiſerit, cuius proſpero flatu cum vtimur ad exitus peruenimus optatos, qua reflante affligimur?

Sic tu quidem pro fortuna, contra iuſtitiam.

Fateor equidem perſæpe accidere in hac vita, vt IVSTITIA FORTVNÆ mancipium, atque adeò ludibrium videatur. Sanè iſta ipſa quæſtio, qua perturbaris (vt profanos homines à noſtriſque ſacris alienos omittam) Habacuc, Ieremiæ ac Dauidis noſtri animum (niſi eos dicamus ex infirmorum perſona locutos) olim nõnibil pupugiſſe viſa eſt. Quid vnus Dauid dixerit au- *Quæritur quare bonis viris mala accidant.*
Pſal. 72. dito. *Mei autẽ pæne moti ſunt pedes, pæne effuſi ſunt greſſus mei, quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.* Et infrà. *Ecce ipſi peccatores & abundantes in ſæculo obtinuerunt diuitias. Et dixi: Ergo ſine cauſſa iuſtificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas: & fui flagellatus tota die, & caſtigatio*

Digitized by Google

mea in matutinis: Si dicebam, narrabo ſic, ecce nationem FILIORVM TVORVM *reprobaui. Exiſtimabam, vt cognoſcerem hoc: labor eſt ante me.* Parum abfuit (inquit ille) ne laberer, cùm omnia ſceleratis feliciter euenire in hac vita animaduerterem. Ergóne (mecum ipſe) fruſtrà à me IVSTITIAM coli putádum eſt? Minimè verò: nam ſi iſtud dixerim, perinde erit, ac ſi eos ipſe improbem, quos tu probas, dicámque ſpurios ac ſuppoſitos partus eſſe, quos tu veros ac genuinos eſſe affirmas. Quid igitur dicẽdum eſt? Labor eſt ante me. Verumenimuero quamquam rem hanc ſibi valde obſcuram dicit Propheta ſanctus, tamen Alexandrum egregiè mihi imitatus videtur, qui inexplicabilem nodum Gordium gladio præcidit, nil referre dicens quomodo ſolueretur, modò ſolueretur: dum enim nos apertè docet viros IVSTOS, qui calamitatibus exercentur, filios Dei, his verbis, ECCE NATIONEM FILIORVM TVORVM REPROBAVI, cenſendos eſſe; quæſtionem vno verbo mihi profligaſſe viſus eſt.

Soluitur quæſtio.

Atenim qui parens ille iudicetur, qui liberos ſuos ſordida malit pauperie aliíſque ærumnis conflictari, quàm opibus rebúſque ſecundis cohoneſtari? Quid? An ignoras quanta Lacedæmoniorum in ſuos liberos ſeueritas fuerit? Anne deſiere parentes eſſe, cum eos tametſi adhuc tenellos duris aſſuefaciebant? cùm eorum experiebantur indolem publicè admotis verberibus? cùm eos iam laceros ac ſemianimes rogabant perſeuerarent vulnera præbere vulneribus? cùm eos iam adultos ad arma pro ſalute ciuium capeſſenda acriter cohortabantur? cùm timidos ignauóſque tamquam illegitimos partus expellebant? cùm eos, qui pro patria mortem oppetiiſſent, ſiccis atque adeò lætis oculis intuebantur? Nihil minus. Porrò

ſeuera

Digitized by Google

ſeuera liberorum educatio non odium nouercale, ſed virilem parentis amorem indicat. *Cùm videris* (inquit doctiſſimus Philoſophus) *bonos viros acceptóſque dijs laborare, ſudare, per arduum aſcẽdere, malos autem laſciuire, & voluptatibus fluere; cogita* FILIORVM *nos modeſtia delectari; vernacularum licentia; illos diſciplina triſtiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo liqueat*, BONVM VIRVM IN DELICIIS NON HABET: EXPERITVR, INDVRAT, SIBI ILLVM PRÆPARAT. Sic ſanè habeto, bonos ac ſapientes viros corrigit & caſtigat Deus, non vt abiecti in ſordibus & ſquallore iaceant, ſed ne caducis iſtis bonis corrumpantur ac deprauentur: ſcit enim ille plus animos ſecundis rebus affligi, quàm corpus aduerſis. Adhæc vt mater non odio ſed amore incitata infantulum ſuum ſtare incipientem viribus ſuis ſubnixum relinquit, non vt ruat, ſed vt gradum figere diſcat, ac ſeipſum tandem ferre aſſueſcat; ſic quoque ille manum ſuum ſubtrahit interdum ſapienti, non vt funditus pereat, ſed vt eius ratio exerceatur, quæ quidem hebeſceret, ſi minus eam ad victum, veſtitum, cæteráque neceſſaria acueret pauperies; dormiret perpetuò ac ſterteret; ni eam ſopitam excitarent infortunia. Et quidem qua ratione fortitudo in homine eluceret, ſi res aduerſæ tollerentur è vita? Annon reflantibus ventis naucleri peritia mirificè oſtenditur? Annon in acie ſtrenui militis probatur conſtantia, qui mauult mori, quàm vlla voluptatis illecebra delinitus ſua ſigna deſerere, atque ad hoſtilia caſtra transfugere? Nempe eſt calamitas paleſtra virtutis: eſt optima vitæ ciuilis magiſtra.

Seneca lib. Quare bonis viris mala accidãt cùm ſit prouidẽtia.

Hæc porrò cùm ita ſint, quis non videt vanum & commentitium eſſe forunæ Numen & nomen? quis non videt res cùm proſperas, tum aduerſas, nutu diuinæ pro-

Fortuna Numen ac nomẽ vanum eſt.

Digitized by Google

uidentiæ regi, nihilque eſſe fortuitum niſi ex hominum rerum cauſſas neſcientium opinione? *Cauſſa pendet ex cauſſa* (docet noſter Seneca) *Priuata ac publica longus ordo rerum trahit. Ideo fortiter omne ferendum eſt, quia non vt putamus incidunt cuncta, ſed veniunt.* OLIM CONSTITVTVM EST QVID GAVDEAS, QVID FLEAS. Meritò Dauid ſic cecinit, *Ego autem ſperaui in te Domine, dixi, Deus meus es tu,* IN MANIBVS TVIS SORTES MEÆ.

Seneca lib. Quare bonis viris. &c.

Pſ. 30.

Deo ſortes hominum regenti ſeſe totum aulicus committat.

Sequere igitur aulice, Deum ducem, *in cuius manibus ſortes tuæ ſunt; qui mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit: qui pauperem facit & ditat, humiliat & ſubleuat;* cúmque quæſtio iſta animum tuum ſubit, caue ne difficultate terreare: ſed memineris *fugitiuos & abdicatos liberè viuere, & eos qui ſub diſciplina patris ſunt ſtrictiùs & frugaliùs.* Sed & pœnas, quæ felices iſtos manent, conſiderato; & INTELLIGES IN NOVISSIMIS EORVM; hoc eſt, quæſtionis difficillimæ nodum faciliùs exolues, eorum exitium proſpiciendo. Sic interim Dauidem imitatus cum Deo loquere, VT IVMENTVM FACTVS SVM APVD TE, ET EGO SEMPER TECVM. Noli de fortuna queri. Ipſum vel fortunæ nomen tamquam parum Chriſtianum explode, diuinis conſiliis acquieſce: eſto caſuum tuorum benignus interpres, iumentúmque ſedulò imitare, quod domino ſuo ſemper adhæret, neque curioſe quærit quorſum vel quà eundum ſit, ſed & onus quodcumque ſubit.

1. Reg. 2.

Lactan. de ira Dei.

Pſal. 72.

Pſal. 72.

Vide S. Auguſt. in retract.

Certè vir ſapiens omnem temporum difficultatem (ait Seneca) *ſtrenuè ſuperabit, & vt bonus miles feret vulnera: enumerabit cicatrices, & tranſuerberatus telis moriens amabit eum, pro quo cadet, Imperatorem.* Habebit in animo illud vetus præceptum, DEVM SEQVERE: *quiſquis autem queritur & plorat, & gemit, imperata facere vi cogitur, & inuitus rapitur ad iuſſa nihilominus. Quæ autem dementia eſt potius trahi, quàm ſequi?*

Seneca de beata vita.

qui? Tam mehercle, quàm ſtultitia & ignorantia conditionis ſuæ dolere quod aliquid tibi incidit durius, aut morari, & indignè ferre ea, quæ tam bonis accidunt, quàm malis, morbos dico, funera, debilitates, & cætera ex transuerſo in humanam vitam incurrentia. Quicquid ex vniuerſi conſtitutione patiendum eſt, magno excipiatur animo. Ad hoc ſacramentum adacti ſumus ferre mortalia, nec perturbari his, quæ vitare noſtræ poteſtatis non eſt. In regno nati ſumus. Deo parere libertas eſt. Hactenus ille.

Ex his omnibus ſatis, vel me tacente, apparet, quàm turpiter peccauerit M. Brutus, cùm gladium ſibi in pectus adigens, virtutē rem nugatoriam fortunæque ſubiectam appellauit; quantóque ij quoque in errore verſentur, qui cùm videant inertes ac vitioſos ſecundis rebus plerumque vti virtutem deſerunt.

Pauca hæc ô miſelle, qui iuſtitiam tamquam meras nugas faſtidiebas, nihílque induſtriæ tribuebas, adhuc accipito. Quamquam Deus quos vehementer amat ærumnis in hac vita exercere ſolet, quoties tamen, ne iuſtitia penitus ab hominibus deſeratur, viros bonos honoribus atque opibus auget? Quoties virtus, quę exiguis locorū finibus coërcebatur, diuinitus eluctatur, perfractis repagulis excurrit pede libero, ac per inacceſſa loca viam ſibi nullo etiam duce præeunte ſternit ac munit? At nulla ſit in terris virtutis merces; nullus eam honos, nullæ opes comitentur. Dicamus quoque (ſi placet) eam & cupreſſis, perpulchris quidem amœníſque, ſed tamen infrugiferis, & iis terris, quæ ſalem proferunt, ac præterea nihil, ſimillimam eſſe; quid tum? Eſt eſt planè alia merces, & quidem virtute digniſſima, quam is dumtaxat nouit, qui oculos ſuos à rebus terrenis ad cœleſtes attollere conſueuit. Apud Ciceronem iuſtitiæ defenſor Lælius aliam nonnullam eſſe virtutis mercedem, diſſerebat, quàm honorem.

Iuſtitia magna vis, & vera merces.

In eum ſic noſter Lactantius inuehitur. *Erras vehementer ſi putas ab homine præmium ſolui poſſe virtuti. Cùm ipſe alio loco veriſſimè diſſeras: huic verò quas diuitias obiicies? quæ imperia? quæ regna? qui iſta putat humana, ſua bona diuina iudicat? Quis ergo te ſapientem Læli putet, cùm ipſe tibi loquare contraria, & paulo pòſt adimis virtuti quæ dediſti. Sed videlicet ignorantia veri facit incertã labentémque ſententiam.* Hęc Lactantius; qui virtutem ſuis premiis expoliari numquam poſſe docens, hæc demum ſubiungit. *Quid enim ſi, vt Furius dicebat, rapiatur, vexetur, exterminetur, egeat, auferãtur ei manus, effodiantur ei oculi, damnetur, vinciatur, vratur, miſeris etiam modis necetur, perdétne ſuum præmium virtus? An potiùs perbit ipſa? Minimè: ſed & mercedem ſuam* DEO IVDICE *accipiet, & viuet & ſemper vigebit.* Audi quibus verbis Pſalmum illum ſuum clauſerit Dauid, in quo ſe pæne lapſum eſſe affirmarat. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino meo ſpem meam.* Nihil attinet (inquit ille) de fato queri, cùm certum mihi ſit, eos, qui iuſtitiam colunt, ac Dei ductum ſequuntur, bonis omnibus tandem in cœleſti regno cumulatum iri. Lactan. Pſal. 72.

Princeps viros iuſtos diligat liberalitérque tractet.

Si verum eſt ô Princeps, *cætera Principibus ſtatim adeſſe, vnum inſatiabiliter parandum proſperam ſui memoriam: nam contemptu famæ contemni virtutes*; vndénam, obſecro, maior tibi gloria exiſtet, quàm ex liberalitate? Hæc eximia virtus Philippi, Alexandri, Iulij Cæſaris, Auguſti Titi, Conſtantini, Theodoſij, Caroli Magni, aliorúmq; complurium famam illuſtrauit, qui ſui imperij ſplendorem ac decus eſſe putarunt beneficia dare. Errant mihi crede, qui liberalitate regna eneruari putant: ſanè Alphonſus Rex Siciliæ, vir liberalitatis gloria inſignis, cùm à ſuis interrogaretur, quid ſeruaret ſibi, qui tam multis tam multa donaret? Ea ipſa, reſpondit, quæ dono. Egregia ſanè vox tantóque Principe digna. Nimirum Tac. lib. 4 an.

Liberalitas magnã Principibus gloriã affert.

Liberalitas regnorum robur.

Extra

Martial.

Extra fortunam eſt quicquid donatur amicis:
Quas dederis ſolas ſemper habebis opes.

Equidem affirmare non dubito, opes bonis viris collatas eſſe verum firmiſſimumque robur imperij, atque inexhauſtum totius Reip. ærarium. *Melius* (inquit Seneca) *beneficiis imperium cuſtoditur quàm armis.* Si Galba, homo *ſuæ pecuniæ parcus, publicæ auarus,* ſuis militibus donatiuum exoluiſſet, haud fortè imperio vitáque priuatus fuiſſet. *Conſtat* (inquit Cornelius) *potuiſſe conciliari animos quantulacumque parci ſenis liberalitate.* Neque verò auream illam mediocritatem, per quam viget virtus, demimus liberalitati. Prudenter olim Tyberius, *Si ambitione* [ærarium] *exhauſerimus, per ſcelera ſupplendum erit.*

Senec. de breu. vitæ. Tac. — Tac. lib. 6. Hiſt. — Tac. lib. 2. an.

At cùm nihil non egerim (inquis) vt bene beneficia collocarem, ingratos tamen multos expertus ſum. Satius eſt, itaque, vt beneficia dare deſinam. Nempe *leui ære alieno debitores fiunt, graui inimici, & prima cauſſa eſt cur quis ingratus ſit, ſi gratus eſſe non potuit. Eò perductus eſt furor, vt periculoſiſſima res ſit beneficia in aliquem magna conferre: nam quia turpe putat non reddere, non vult eſſe, cui reddat.* Hæc tu quidem ex noſtro Seneca.

Quæritur an ob ingratorũ hominũ turbam Principi manum ſuã reſtringere liceat.

Seneca ep. 81.

Sed non eſt ô Princeps, quod tardiorem te faciat ad bene merendum ingratorum hominum turba. Propone tibi ante oculos immortalem Deum, cuius inſignem liberalitatem, ne ſacrilegi quidẽ, imminuere vnquam poterunt. *Quàm multi luce indigni ſunt* (inquit idem Philoſophus) *& tamen dies oritur: quàm multi quòd nati ſunt queruntur, tamen natura ſobolem nouã gignit, ipſóſque qui non fuiſſe mallent eſſe patitur!* & infrà. *Hoc & magni animi & boni proprium eſt non fructum beneficiorum ſequi, ſed ipſa, & poſt malos quoque bonum quærere. Quid magnifici erat multis prodeſſe, ſi nemo deciperet? Tunc eſt virtus dare beneficia non vtique reditura, quorum à viro egregio ſtatim fructus perceptus eſt. Adeò quidem*

Reſpondetur non licere.

Senec. lib. de ben.

Digitized by Google

quidem iſta res fugare nos & pigriores ad rem pulcherrimam facere non debet, vt ſi ſpes mihi præcidatur gratum hominem reperiendi malim non recipere beneficium, quàm non dare. Nihil profectò doctius, nihil ſapientius.

Quæ Principi in dandis beneficiis obſeruanda ſint, declaratur. Non itaque deſerenda liberalitas eſt ob ingratorum hominum turbam, ſed potiùs diſcendum benemereri. Plerique Principũ, cùm ſine vllo delectu beneficia magis proiiciant, quàm dent, nihil profectò eſt, cur mirentur *inter plurima maximáque vitia nullum eſſe frequentius, quàm ingrati animi.* Senec. lib. 1. de ben. Dignos igitur elige, quos beneficiis exornes, víxque vllus poſtmodum tibi de ingratis hominibus conquerendi relinquitur locus. Memineris deinde beneficium *non eſſe* NEGLIGENTER *dandum; ſibi enim quiſque debet quod à neglig ẽte accepit.* NEC TARDE QVIDEM, *quia cùm in omni officio magni æſtimetur dantis voluntas, qui tardè fecit, diu noluit.* *Vtique* NON CONTVMELIOSE: *nam cum ita natura comparatum ſit, vt altius iniuriæ, quàm merita deſcendant, & illa citò defluant, has tenax memoria cuſtodiat; quid expectat, qui offendit, dum obligat? ſatis aduerſus illum gratus eſt, ſi quis beneficio eius ignoſcit.* Quid vitandum, quídve ſequendum ſit in beneficiis dandis ex inſigni noſtro Philoſopho didiciſti. Hoc vnum (ſi ita lubet) libenter addiderim. Prudentiſſimè facies ô Princeps, ſi non profuderis, ſed ſtillaueris potiùs beneficia. Minuto imbre longè melius madeſcit tellus, atque ad ſementem recipiendam aptatur, quàm graui & repentino. Nempe, qui guttatim (vt ita dicam) beneficia accipiunt, & deuinciuntur, & ardorem ſeruitutis intendũt, maiora ſperantes in dies. At qui omnia ſimul accipiũt, & ſocordes fiunt, & quod grauius eſt *pro gratia* plerumque *odium reddunt.* Tac.

Dominus

Digitized by Google

Dominus cuſtodit aduenas, pupillum & viduam ſuſcipiet, & vias peccatorum diſperdet.

Deo magna cura eſt hoſpitalitas.

Terrenis Principibus vera hoſpitalitas inuiſa.

HÆc Dauid, vt cognoſcas vias Domini longè alias eſſe, quàm mortalium Principum. Deo maximæ curæ eſt hoſpitalitas, id quod ex ſexcentis ſacrarum litterarum locis conſtat. Mortalium verò Principum complures id ſe perdere putant, quod hoſpitibus in Chriſti gratiam tribuunt; & quemadmodum mare monſtroſam terrificámque prolem gignit, alítque, ita ij non aliũ diuitiarũ & pecuniæ fructũ putantes quàm profuſionẽ, pluris canes, accipitres, ſcurras, & id genus nugas faciũt, quàm aduenas, alióſque egenos. Næ iſti Principes aptè à Cratete iis ficubus dicũtur perſimiles, quæ in altis præruptíſque naſcuntur, è quibus non homo fructum capit, ſed corui tantùm, ac milui, ſcorta ſcilicet, & adulatores.

Stobæus ſerm. 15.

Sunt quidem, quibus chara eſt hoſpitalitas, fateor, ſed mercenaria tantùm & ambitioſa. Hanc ipſam nouerunt & admirati ſunt olim homines naturæ duntaxat lumine illuſtrati. *Rectè*, inquit Cicero, *à Theophraſto laudata eſt hoſpitalitas, eſt enim, vt mihi quidem videtur, valde decorum patere domos hominum illuſtrium hoſpitibus illuſtribus.* Ignoſcendum ſanè eſt homini non ad iuſtitiam, ſed ad vmbram & imaginem iuſtitię præcepta tradentis. Ignoſcendum eſt, inquam, præceptori vmbratico & imaginario, vt ita cum Lactantio loquar. Neque verò id valde graue Ciceroni futurum puto, cùm ipſemet dixerit aliquando: *Sed nos veri iuris germanæque iuſtitiæ ſolidam & expreſſam effigiem nullam tenemus. Vmbra & imaginibus vtimur, eáſque ipſas vtinam ſequeremur.* Num igitur ignoſcemus & noſtris Chriſtianis Principibus, qui cùm euangelicis

Vide Lactantiũ de vero cultu lib. 6. c. 12.

T præce

præceptis edocti ſciant Chriſtum ſub egeni nudíque hoſpitis perſona latentem excipi, hoſpitiíque vberrimam æternámque mercedem fore, miſeros tamen homines tamquam ſcopulos & mala quędam omina auerſantur, hoſpitalitatémque terrena ſordidáque duntaxat vtilitate metiuntur? Non ego.

Deus pupillorum ac viduarum Patronus.

Deus pupillorum viduarúmque Patronum & custodem ſe paſſim in ſacris litteris nominat, *nequiſquam* (audi Lactantium) *ſuorum liberorum miſeratione retardetur, quominus mortem pro iuſtitia fortiter ſubeat, cùm ſciat charis ſuis diuinum præſidium numquam defuturum.* Vt autem grandiores piſces piſciculos deglutiunt, ſic tenuiorum quorumdam pupillorum viduarúmque fortunas terreni quidam Principes deuorant. Lactan. de vero cultu, c. 12.

Terreni Principes tenuiorum fortunas deglutiunt.

Deus ſceleratorum hominum peſſima conſilia diſſipat.
Principes eadem fouent.

Deus *vias peccatorum diſperdit*, eorum nimirum ſtudia conſiliáque diſſipat, ne in bonorum perniciem coaleſcant. Mortales verò Principes perditorum hominum conſilia iuuant fouéntque perſępe, vt eorum opera (cùm datur occaſio) ad cædes, ſtupra, ſtrages, incendia, aliáque innumera flagitia abutantur.

Quàm igitur verum eſt aliò vias Dei, aliò vias hominum tendere! Quàm verum optimè in Deo ſpem noſtram collocari, qui vt miſerorum hominum curam & patrocinium ſuſcipit, ita flagitioſorum inſanos impetus retundit ac frangit!

Studeat aulicus id eſſe, quod alienigenarum, pupillorum, ac viduarum nomine myſticè deſignatur.

Quid ego hîc te moneã aulice? Vt memineris (paucis dicam) eos præcipuè aduenas, eas viduas, eos pupillos à Domino quàm diligentiſſime cuſtodiri, qui ad cœleſtem patríam feſtinãtes, terrenis & caducis rebus, non vt propriis, ſed vt alienis & commodatis vtuntur: qui ſeſe, diuino amore flagrantes, à conſuetudine carnis abripiunt: qui terrenam hæreditatem pro nihilo æſtimantes, cœleſtis veríque parentis opulentiſſimam hęreditatem

Digitized by Google

tem expectant. Quid igitur ciuis Sanctorum in hoc prę-rupto ac tenebricoſo itinere latronibúſque infeſto tam libéter immoraris? Quid hanc vitā, è qua citò migrandū eſt, tā vehementer amas? Quid carnis illecebris addictus, cœleſtia & numquā interitura gaudia nihil curas? Quid fili Dei, æterníque regni hæres, amantiſſimo patēte tuo relicto, porcos in exteris regionibus paſcere, faméque perire mauis, quàm in paterna domo bonis omnibus abundare? Quin tu potius ſanctos illos viros imitaris, qui tametſi corpore in terris degebant, animo tamen
Seneca ep. 79. cœleſtē patriam peragrabant? *Quippe ſurſum vocant illum* [animū] *initia ſua* (vtor Senecæ verbis) *erit autē illic antequā hæc cuſtodia exoluatur, cùm vitia diſiecerit, puruſque ac leuis in cogitationes diuinas emicuerit.* Quales aduenæ, quales pupilli, ac viduæ Domino placeant, audiſti. Cogita iam non ſolùm ab eo aduenas, pupillos, & viduas cuſtodiri, ſed & *vias peccatorum diſperdi.* Ille nimirum eſt Deus, IN CVIVS MANVS INCIDERE HORRENDVM EST. Profectò ſi diuinis præceptis contemptis, prauis atque effrænatis cupiditatibus tuis addictus, illecebrarum anfractus, quàm ſpiritalē & regiam Christianæ diſciplinę viam ſequi malueris, iſta tua via ac vita tandem, ô miſer, diſperdetur: vt lutum platearum deleberis, diuinæque iræ ac ſeueritatis magnum omnibus exemplū fies.

Nihil eſt ſanè, cur apud Chriſtianum Principem verba faciens, hoſpitalitatis eleemoſynæque inſignes laudes enumerandas ſuſcipiam. Ecquiſnam rerum noſtrarum adeò ignarus eſt qui non didicerit, ea quæ pauperibus tribuūtur, ipſimet Chriſto tribui? Quid igitur Chriſtianis Principibus glorioſius, quid honorificentius, quàm Chriſtum ſuo hoſpitio excipere, ſuæque menſæ adhibere? Quid ad imperij firmitatem diuturnitatémque efficacius ac robuſtius, quàm Dei filio ſuas faculta- *Princeps ſit hoſpitalis, ac benignus erga pauperes.*

 tes

tes committere? Infinitum prope eſſet eorum exempla recenſere, qui ob largitiones & eleemoſynas diuinū ſibi amorem promeruerūt. Nónne Abraham, Loth, ſanctus Iobus, Sarepthana mulier, Sunamitis, Martha, aliíque complures magnis à Deo beneficiis affecti fuerunt? Sacros annales euolue, ac reperies eleemoſynis, Conſtantini, Caroli Magni, Theodoſij, aliorúmque nonnullorum Principum imperia longè felicius, quàm armis propagata & firmata.

At ex aduenis multi ſupplicio potius digni ſunt quā hoſpitio. Hanc profectò excuſationem non admiſerit Auguſtinus, cuius hæc verba ſunt. *In recipiendis hoſpitibus ignotis iſta ſolemus dicere, multo eſſe melius malum hominem perpeti, quàm forſitan per ignorantiam excludi bonum, dum cauemus, ne recipiatur malus. Et Seneca ánnon aurea hæc verba ſcripta reliquit? Satius eſt autem prodeſſe etiam malis propter bonos, quàm bonis deeſſe propter malos.* Senec. lib. 4. de ben.

Princeps perditos homines excindat. Cæterùm quemadmodum aduenæ tibi cuſtodiendi ſunt ô Princeps, & pupillorum viduarúmque cura (vt ſuprà dictum eſt cùm de iuſtitia ageremus) ſuſcipiēda eſt: ita profectò viæ peccatorum inuicto animo diſperdendæ ſunt, hoc eſt, ſceleratorum hominum impia ſtudia & conatus omnibus tuis viribus frangendi. Vide quę ſub finē hac de re ſcripta ſunt.

Regnabit Dominus in ſæcula, Deus tuus Sion in generationem & generationem.

Cœleſtis regni ſempiterna tutiſſimáque quies. NVllis perturbationibus cœleſte Dei regnum agitatur. Non ciuilibus bellis flagrat ſancta Sion, nō hoſtilibus bellis terretur. Non ibi ſolùm ſuffoſſionibus & cuniculis contremiſcit, non claſſes claſſibus franguntur: non fora inextricabilibus litibus ſtrepūt: non ibi parricidia, non ſtupra, non latrocinia, non inſidiarum, incēdij,

neciſve

Digitized by Google

neciſve vlla ſuſpicio, non virus vlla formido: nihil obſcurum, nihil ſubdolum, ſed ſempiterna tutáque quies.

Terrenorum regnorum inconſtãtia & interitus.

Cæterùm regna dominationéſque terrenæ tot tantíſque viciſſitudinibus obnoxiæ ſunt, vt vix vllo vmquam tempore quietem capiant. Ea ipſa regna & ciuitates, quæ nec domeſticis nec externis quatiuntur bellis, nullo tandẽ impellẽte ruunt. Quid Aſſyriis, quid Medis, ac Perſis, quid Macedonibus factũ eſt? *Velut ſomnium ſurgentium Domine in ciuitate tua imaginem ipſorum ad nihilum redegiſti.* Inanis eorum conditio, & vmbratilis ſtatus, ita abolitus eſt in illis ipſis vrbibus, in quibus florebant, & oculos omnium in ſe conuertebant, vt ne veſtigium quidẽ atque vmbra veteris eorum pompæ priſtinæque fortunæ relicta ſit. Roma (hæc enim vna omnibus regnis ac rebuſpublicis clariſſimum humanæ miſeriç monumentum eſſe poteſt) quæ

Pſal. 72.

Virg. 6. Æn.

Imperium terris, animos æquauit Olympo,

tam multis bellis attrita eſt, vt ea vel commemorare horreſcat animus. Hoſtili ſæpe incendio flagrauit. Multis demum partibus cæſa & mutilata, vix vllum membrum integrum ac ſuperſtes habuit, in quod Gothi, Vvandali, cæteráque barbarorum omnium immanis colluuio ſæuiret, ſuámque expleret rabiem. Quis iam ipſorum Regum tragicos ac miſerabiles exitus enumerare, nedum deſcribere valeat? Alios videas nudos & catenatos ante victoris triumphum duci, alios tamquam feras cauea incluſos, oſſa à menſa proiecta corrodere, alios inſolenti ſuperbóque Principi, equum conſcenſuro, pro ſcabello ſubſeruire. Quis non perhorreſcat legens paſſim Reges atque Imperatores à viliſſimis hominibus atque adeò à ſuiſmet trucidatus? *Suſcepere duo manipulares imperium populi Romani transferẽdum* (inquit Cornelius de coniuratione in Galbam excitata

Regum tragici & infelices exitus.

Tac. lib. 1. Hiſt.

 verba

verba faciens) & *tranſtulerunt.* Nónne eiuſmodi Principes *dum viuerent ac regnarent* (vtar verbis Minutij) *vt victimæ ad ſupplicium ſaginabantur, vt hoſtiæ ad pœnam coronabantur?* Omnino illud Curtij veriſſimum eſt. *Nihil tam firmum, cui periculum non ſit etiam ab inualido.* Quid igitur mirum ſi Regum ingenia prona ſint ad formidinem? Intuere Democlem illum inter coronas, vnguenta exquiſitiſſimáſque dapes trepidantem.

Minut. Fel. in Octauio.

Cur. lib. 7.

Principum ingenia formidoloſa.

Diſtrictus enſis, cui ſuper impia
Ceruice pendet, non ſiculæ dapes
Dulcem elaborauerunt ſaporem,
Non auium citharæque cantus.

Hor.

Perbellè profectò enſe illo è lacunari ſeta equina demiſſo, eiuſdémque Democlis ceruicibus imminēti, mortalium Principum ſollicitudines perpetuáque diſcrimina ſignificantur. *Sit licèt ſatellitum manu ſeptus* [Princeps] *& clauſum ac protectum latus numeroſo ſtipatore tueatur, quàm ſecuros non ſinit eſſe ſubiectos, tam neceſſe eſt, vt non ſit ipſe ſecurus. Ante ipſos terret poteſtas ſua quos facit eſſe terribiles. Arridet vt ſæuiat, blanditur vt fallat, illicit vt occidat, extollit vt deprimat fœnore quodam nocendi, quàm fuerit amplior ſumma dignitatis & honorum, tam maior exigitur vſura pœnarum.* Hæc Cyprianus.

S. Cypr. ep. 2. lib. 2.

Ne te moueat (obſecro) aulice Chriſtiane, vulgi iudicium, quo illi, qui ingentes opes poſſident, molliùs cutem curant, deliciis omnibus affluunt, armatorumque hominum grege conſtipati incedunt, beati cenſentur. Errant errant profectò, qui beatum eum dixerunt, cui hæc ſunt.

Aulicus rerū terrenarum inconſtantiā conſideret, atque ad æternam gloriam omne ſuum ſtudiū conferat.

Non poſſidentem multa vocaueris
Rectè beatum; rectiùs occupat
Nomen beati,

Hor.

cuius Dominus Deus eius, & qui non reſpexit in vanitates & inſanias

Pſ. 39.

Digitized by Google

ſanias falſas.

Cauſſa eſt(mihi crede)iſta felicitas, & quidem tenuiſſima, quæ nitore ſuo nobis imponit. Porrò ſi paries, quem tantopere ſuſpicis, corruat, ſi ab hoſte repentè moles iſta fortunæ turbetur; apparebit profectò quantum malorum fucatus ille nitor abſconderit.

At ſplendeât ſemper dum viuunt beatuli iſti:nulla in eorum fortuna appareat rima,nullum vitiū;omnia(vno verbo dicam)e ſententia fluant,quid tamen? Ecce tibi mors, quæ magno tandem impetu parietem demolietur, omnémque felicitatem diſturbabit. Et vbinam fulgor ille,qui ſtante pariete,omnium in ſe oculos, omniū animos conuertebat? O infeliciſſimam rerum humanarum conditionem!

Quid tu itaque mi aulice,terreni iſtius nitoris fuco ac lenocinio ſponte lubénſque deciperis? Ad cœleſte æternúmque potiùs regnum adſpira,tuáque conſilia dirige. Immortalia immortalis animus meditetur. Quantum illud erit cœleſtibus puriſſimíſque ſpiritibus aggregari! quantum erit nullo inopiæ, inſidiarū,armorū, ægritudinis, ſenectutis mortiſque metu perturbari! Quantum erit in throno ſedere, ac de ipſorum mortalium Principū dictis,factis,cogitatiſque iudicare! quantum erit (ſummatim dicam)diuino conſpectu, hoc eſt, totius beatitudinis fonte in perpetuum frui! O quando in tutiſſimo cœleſtis huius regni portu conquieſces? *O* Senec. ep. 32. *quando*(liceat mihi Senecæ hiſce verbis perorare)*videbis illud tempus,quo ſcies tempus ad te non pertinere, quo tranquillus placidúſque eris,& craſtini negligens, & in ſumma tui ſatietate.*

Qui ſe non reſpiciunt, ſed ſua commoda,Chriſtiane Princeps(paucis enim adhuc te volo; & mox vela contraham)qui proſperum dumtaxat fortunæ flatum, non autem *Princeps humanæ naturæ miſeriā, rerúmque terrenarum viciſſitudinē cogitet,*

autem ſcopulos & naufragia conſiderát, facile in ſuperbiam præcipites ruunt. Naturam tuam rerúmque humanarum inconſtantiã ſi conſideres ô homo, nihil profectò ex his, quæ te circumſtant, tuum eſſe iudicabis, ſed vt commodatis vtêris peregrinus & properans. Itaque in iſta fortuna, magnáque opum affluentia, in tanta ſalutantium turba, fauſtiſque populorum bene tibi precantium acclamationibus, impone impone felicitatibus frænos. Scin, quàm olim Philippus Macedonum Rex manè aucupabatur ſalutationem? Non aliam profectò, quàm hanc ἄνθρωπος εἶ φίλιππε. Ac ne leue quippiam id fuiſſe putares, memineris, obſecro, Solonem Crœſi, ſuos theſauros oſtentãtis, faſtum & inſolentiam his vocibus compreſſiſſe: O CROESE, HOMO EST MAXIMA QVÆDAM MISERIA. Magnus es, non inficior: tu enim ex omnibus regni tui mortalibus es, qui in terris vice Dei fungeris: tu vitæ, tu necis arbiter; qualem vnuſquiſque ſortẽ habeat in manu tua eſt. Ex tuo ore & oculis pendent omnes populi. Ad tuum nutũ innumeri gladij, quos pax tua comprimit, ſtringuntur: tamen HOMO ES. Cùm igitur te inflat præſentis fortunæ ſtatus, memento, tam mobilium, quàm ignobilium vitam, tamquam aquam delabi ad ſepulcrum. Memento tumentes fluctus tuos frangendos eſſe, nihilque præter famã (quæ & ipſa inſtar ſpumæ ad littus eiectæ citò euaneſcet) permanſurum. *Noli* (vt Senecæ verbis loquar) *huic tranquillitati confidere. Momento mare vertitur. Eodem die vbi luſerunt nauigia ſorbentur. Cogita poſſe & latronem & hoſtem admouere iugulo tuo gladium.* VT POTESTAS MAIOR ABSIT NEMO NON SERVVS HABET IN TE VITÆ NECISQVE ARBITRIVM. ITA DICO. QVISQVIS VITAM SVAM CONTEMPSIT TVÆ DOMINVS EST. *Recognoſce exemplum eorum, qui domeſticis inſidiis perierunt, aut* Seneca ep. 4.

aut aperta vi, aut dolo, & intelliges non pauciores ſeruorum ira cecidiſſe, quàm regum.

Si tuis charus, hoſtibus formidabilis, eſſe cupis; ſi tuũ conſtabilire imperium eſt animus, tyrãnicę nebulonum quorumdam inſtitutiones faceſſant longiùs. Deum potiùs time, ac virtutes, hoc eſt, munitiſſimas imperiorum arces fortiſſimóſque exercitus cole. Deus eſt, in *cuius manu ſunt iura omnium regnorum.* Deus eſt, *qui hunc humiliat, & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto.* Deus quibus vult merum ſecundarum rerum propinat, & quibus vult rerum aduerſarum fœcem. Hunc (vt Chriſtianum Principem decet) reuerere.

Princeps imperium ſuum firmare cupiens Deum timeat, virtutéſque colat.

Pſal. 74.

Certè ſi veritatem, fidem, iuſtitiam, liberalitatem, clementiam, cæteráſque virtutes reuera colueris, non autẽ fictè, vt Machiauellus docebat (viſus eſt enim homo, qui famam, non conſcientiam verebatur, in ea fuiſſe ſententia, vt regna non ex diuino præcipuè penderent arbitrio, ſed ex bona maláve hominum opinione.) Ecquid vmquam periculi formidabis? Quis tantus malorum cumulus, qui te hac fidiſſima cuſtodia communitum vmquam perterrefaciat? Quæ valla, quæ propugnacula, quæ vires cum fortiſſimo virtutum agmine comparari poſſunt? Illi potiùs timeant, & contremiſcát, qui ex *magna fortuna licentiam tantum vſurpant*; qui fulgent purpura mente ſordeſcunt: nam *quamlibet ſint multo comitatu ſtipati, ad periculum tamen ſoli ſunt.*

Tac.

Minut. Fel. in Octau.

Profectò hæ Dauidis voces (vt ſexcenta alia diuina oracula tacitus prætermittam) ET NVNC REGES INTELLIGITE: ERVDIMINI QVI IVDICATIS TERRAM: SERVITE DOMINO IN TIMORE, ET EXVLTATE EI CVM TREMORE: APPREHENDITE DISCIPLINAM, NE QVANDO IRASCA-

Ex diuino oraculo & exemplo Salomonis diſcitur quantũ ad ſtabiliendum imperiũ virtus valeat.

Pſ. 2.

V TVR

Digitized by Google

TVR DOMINVS, ET PEREATIS DE VIA IVSTA, vt virtutum beneficio ſtare imperia Principúmque ſalutem & incolumitatem conſeruari demonſtrant, ita Machiauello, eiúſque ſectatoribus omnibus, vmbrã duntaxat imaginémque virtutis retinentibus, expreſſam verò virtutem explodentibus, impudentiſſimum os comprimunt. Sapite aliquãndo ô Principes, inquit Dauid, rectámque admonitionem in aures veſtras admittite. Væ væ illis, qui reiectis virtutibus diuinum in ſe Numen laceſſunt; regentur enim in virga ferrea, & tamquã vas figuli confringentur: durè ſiquidem tractabuntur, eorúmque imperium non ſecus ac teſtaceum aliquod vas, quod ſi frangas refici nequit, funditus interibit. In vnũ Salomonem, quo nemo felicior fuit, dum ſanctè vixit, nemo ferè infelicior, poſtquam à ſuis humeris diuinæ legis iugum depulit, mentis tuæ aciem ô Princeps intendito. Cur, obſecro, tanta ſapientia per quietem à ſapientiſſimo Numine inſtructus fuit, quanta (vt viris doctis placet) nec Moyſes, nec Adamus? Cur florentiſſimo & pacatiſſimo imperio fruitus eſt? Cur ipſe potiſſimum electus, qui auguſtiſſimum illud templum totóque terrarum orbe celeberrimum extrueret, Deóque dicaret? Nimirum quia ab ipſa infantia cum vitiis acerrimum certamen iniit, virtutibúſque adeò deditus fuit, vt arcana ſibi commiſſa fideliſſimè cuſtodierit, vt fidem iureiurando firmatam ac ſacros ritus ſanctiſſimè coluerit: quia iuuentutis florem tantum abeſt, vt vlla libidinis fœditate commacularit, vt ſeſe ab omni labe puriſſimũ integerrimúmque conſeruarit: quia tanta eius liberalitas fuit, tanta erga parentes & amicos pietas, tanta in iuredicundo æquitas, tanta in caſtigando clementia, vt ob eximiam integritatem ac ſanctimoniam, Chriſtum

Digitized by Google

Dominum in lege veteri mirificè adumbrauerit. At cùm
à Deo tantus vir deſciuit, cùm per ſummã impietatem,
fœminarum illecebris delinitus, idola veneratus eſt, bonáque
iuuentutis flagitioſa ſenectute obliterauit, quot
3.Reg. 11. malis, quot calamitatibus fractus eſt! *Iratus eſt Dominus*
Salomoni, ſcriptum eſt in tertio libro Regum, *quòd auerſa*
Ambroſ. Apol. 2. *eſſet mens eius à Domino Deo Iſraël.* Quàm graui ſuppli-
pro Dauid c. 67 cio affectus eſt, cùm ſplendidiſſimo ſapientiæ lumine,
Auguſt. lib. 3. de quo cæteris mortalibus præfulgebat, orbatus fuit? Iam
doctr. Chriſti. coniurationes in eum excitatas percurramus, ſi lubet.
Hier. in ep. ad Primũ *ſuſcitauit Dominus aduerſarium Salomoni Adad Idu-*
Ruſticũ. *mæũ de ſemine regio, qui erat in Edom.* Deinde *ſuſcitauit quo-*
3.Reg. 14. *que ei Deus aduerſariũ Razon filiũ Eliad.* Denique *Ieroboam*
3.Reg. 11. *quoque leuauit manũ ſuã contra Regẽ.* Hæc poſtrema coiura-
3.Reg. 11. tio eo perniciosior fuit, quo familiarior. Quis verò mi-
ſeri Regis ingentẽ mœrorem explicare valeat, diuinum
3.Reg. 11. illud oraculũ identidẽ recolentis, QVIA HABVISTI
HOC APVD TE, ET NON CVSTODISTI PA-
CTVM MEVM, ET PRÆCEPTA MEA, QVÆ
MANDAVI TIBI, DISRVMPENS SCINDAM
REGNVM TVVM, ET DABO ILLVD SERVO
TVO? An vlla in tantis malis bonæ prolis ſupererat
ſpes? Minimè. Mirum ſanè alicui videbitur, quòd ex
tanto mulierum numero, quæ in Palatio alebantur libidinis
cauſſa, maſculus vnus Roboam ſuſceptus fuerit,
duæque femellæ Iaphet, & Baſerath: ſed effrænatæ libidinis
comes plerumque ſterilitas eſt. *Multitudo coniugiorum*
(inquit Suida) *orbitatem facit.* Sanè Roboam cùm
vitam fœdiſſimis libidinibus inquinarit, patrémque in
amandis mulieribus Idololatris imitatus fuerit, & quod
grauiſſimum eſt, cùm diſceſſerit è vita in ſuis ſceleribus
obfirmatus, iure merito infelix proles dicendus eſt, at-

V 2 que

Digitized by Google

que inter Salomonis ſupplicia numerandus. Et hæc quidem Salomoni à Deo ſupplicia irrogata legimus (vt alia nõnulla interim omittam) QVOD AVERSA ESSET MENS EIVS A DOMINO DEO ISRAEL.

Vide ô Princeps quàm horrendum ſit incidere in manus Dei viuentis. Vide quàm inſignia ſint virtutis beneficia, quàm ingentia vitiorum damna. Hæc ſæpe conſiderato, ac te Machiauellicis iſtis perfricta frõte ad ſtabiliendum imperium nihil referre iactantibus ficténe an verè virtutes à Principe colantur, aures aliquando præbuiſſe pudebit; & rectum Chriſtianúmque imperandi iter à viris doctrina pietatéque præcellentibus tibi commonſtratum in poſterum ſequeris.

Principibus Rex Dauid tamquam exemplar proponitur.

Quia tamen ad regulam praua corriguntur, & opus eſt Principi aliquo ſpectato viro, ad cuius mores conformetur, & ex quo totus pendeat; quem tibi alium ad imitandum proponam, niſi ſanctum noſtrum Regem? Dauidem igitur elige, ad cuius vitam & mores te componas, quem ſemper tibimet oſtendas vel cuſtodem vel exemplum. Quàm bene ſapientérque cùm familiam ſuam, tum etiam ciuitatem ac Regnum adminiſtrarit ſanctiſſimus Rex, quibuſcum libenter familiaritérque vixerit, quos à ſuo contubernio reiecerit, quorum ſupplicio ac nece cæteros ciues perterrefecerit, ac in officio continuerit, vt alios locos omittam, ex Pſalmo centeſimo clariſſimè perſpicitur; poſtquam enim diuinam opem illis verbis IN VIA IMMACVLATA QVANDO VENIES AD ME, implorauit, ſine qua nemo innocentiam rectè coluit, eò animum ſe intendiſſe declarat, vt domum regnúmque diligenter perluſtraret, vitia extirparet radicitus, in eorúmque loco virtutes collocaret.

Digitized by Google

PERAMBVLABAM IN INNOCENTIA CORDIS MEI IN MEDIO DOMVS MEÆ. NON PROPONEBAM ANTE OCVLOS MEOS REM INIVSTAM.

Ne mihi, inquit ille, domum regnúmque vitiis expurgare conanti, quiſquam improbitatem vitámque corruptam exprobraret, diligenter caui, ne cuiquam eſſem offendiculo; quare ab omni re iniuſta diuinæque legi contraria abſtinere ſtudui. IN MEDIO DOMVS MEÆ. Hoc eſt, id egi, vt innocentia mea non in angulis lateret, ſed tamquam ſplendidiſſima fax in theatro poſita, luceret, omnibúſque conſpicua foret. Sciebat enim vir integerrimus plurimum ad permouendos animos exemplũ valere, qualéſque in Rep. Principes ſunt, tales plerumque reliquos eſſe ciues.

FACIENTES PRÆVARICATIONES ODIVI.

Quòd ſi (pergit ille) aliquos diuinam humanámque legem violantes reperiebam, næ illi continuò ſenſere, quàm in eos fuerim ſeuerus, quantóque odio præuaricationem perſecutus fuerim.

NON ADHÆSIT MIHI COR PRAVVM: DECLINANTEM A ME MALIGNVM NON COGNOSCEBAM.

Homini moribus corruptis ac dolorum machinatori domo & conſuetudine mea interdixi.

DETRAHENTEM SECRETO PROXIMO SVO HVNC PERSEQVEBAR.

Tac. lib. 1. Hiſt. Eos verò aulicos, qui in eo ſunt toti, vt *ſecretis criminationibus* bonos nihil mali inſidiarúmque ſuſpicantes, & *quo incautiores decipiantur, palàm laudatos, infamant*, ferre non potui, ſed funditus excindebam.

SVPERBO OCVLO ET INSATIABILI COR-

Digitized by Google

DE CVM HOC NON EDEBAM.

Elatum hominem, ambitioſum,& arrogantem, qui nullis honoribus expletur, numquam ad menſam meam recipere conſueui; ij enim, vt votorum ſuorum compotes fiant, non cum Regibus, ſed cum fortuna Regum loquentes, adulationibus omnia miſcent.

OCVLI MEI AD FIDELES TERRÆ VT MECVM SEDEANT: AMBVLANS IN VIA IMMACVLATA HIC MIHI MINISTRABIT. Illos nempe ſemper colam, illos in oculis ferã, illos penes me ſedere familiariter iubebo, qui ſunt ſtudioſi veritatis, integríſque moribus præditi: hi namque Principibus fideles ſunt, non autem ambitioſi atque inexplebiles.

NON HABITABIT IN MEDIO DOMVS MEÆ QVI FACIT SVPERBIAM. dolum propriè. Fraudolentos ab ædibus meis ſemper arcebo.

QVI LOQVITVR INIQVA NON DIREXIT IN CONSPECTV OCVLORVM MEORVM.

Tantum abeſt, vt aures hominibus mendacibus præbeam, vt eos ne in conſpectum quidem meum velim admittere: ſic ſanè fiet, vt miſeri à conſpectu meo pulſi vagari ac mutare cogantur, nec vllo vmquam tempore ſtabiliantur.

IN MATVTINO INTERFICIEBAM OMNES PECCATORES TERRÆ, VT DISPERDEREM DE CIVITATE DOMINI OMNES OPERANTES INIQVITATEM.

Denique ſummo mane ac tẽpe ſtiuè (eu optimi Principis vigilantia) ſceleratos omnes, impios exlegéſque, quibus inſanabilis animus eſt, excindebam, ne in bonorum perniciẽ inualeſcerent, vniuersámq; ciuitatem Domini ſua nefaria doctrina peſſimóque exemplo contaminarent. Hos tu, Chriſtiane Princeps, Machiauellicos

eſſe

Digitized by Google

eſſe dicas, qui ſuis importunis latratibus ciuitatem Domini, puriſſimam ſcilicet religionem noſtram catholicámque doctrinam perturbant, tantúmque ſuis tyrannicis inſtitutionibus tribuunt, vt Euangelium ſilere iubeant, cùm loquitur Machiauellus. Hos, tu hæreticos quoque omnes, Caluinianos verò præſertim eſſe putato. Hi namque non doctrina, non ſanctorum Patrum auctoritate, ſed armis more Turcarum ſuam impietatem defendere conſueuerunt. Hi ſeſe populis cuiuſdam religioſæ libertatis ſpecie inſinuantes, plurimos in ſuam nefariam ſententiam pelliciunt; nec enim deſunt, qui *vetera odere, noua exoptant, odio ſuarum rerum mutari omnia ſtudent*, & *qui priuata vulnera, Reip. vulneribus obtegere ſtatuunt.* Hi ſpem ambitioſis oſtentant, furioſis arma ſubminiſtrant, templa expilant, bona Eccleſiæ populantur, & neſcio quod turbidum Euangelium iactantes, claſſicum canunt, plebem in optimates, & ſubditos in Principes armant: interea vrbes ædificant, arces extruunt, maria intercipiunt, atque vniuerſo pæne terrarũ orbi perniciẽ moliuntur. Porrò principiis obſtandũ ô Princeps. Maturè impuriſſimæ iſtiuſmodi hominum turbulentæque doctrinæ ac impietati ferro & igne occurrendum eſt, ne tamquam cancer longè latéque ſerpant ad totius Chriſtianæ Reip. interitum.

Quàm ſuæ aulæ, ſuíque regni inſtituendi expurgandíque rationem inierit Dauid, hoc eſt, optimus Oeconomus & Politicus, audiſti. Te, ſi modò innocenter vixeris, bonos viros foueris, flagitioſos ac perditos (ex iis verò illos præcipuè, qui ex Machiauelli libris venenũ hauſtum tibi propinant) ac demum hæreticos omnes & ſacroſancti Euãgelij corruptores diſſipaueris, DEDVCET
Pſal.44. MIRABILITER DEXTERA TVA. Næ tu, inquã, diuino

Digitized by Google

uino robore fultus, ardua quæque ſuperabis, imperiúmque tuű confirmabis ac munies; &(quod caput eſt) huius caducæ vitæ curſu peracto, ex terreno ad cœleſte regnű euolabis, diuinóque cőſpectu, vnà cum beatis illis mentibus in omnem ſæculorum æternitatem perfruéris.

Hæc omnia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ eſt columna & firmamentum veritatis, iudicio ſubiecta ſunto.

Ego P. IOSEPHVS MERONVS Presb. Mediolanenſis fateor à me hunc librum conſcriptum eſſe.

LVGDVNI,

Ex Typographia Iacobi du Creux, alias Molliard.

M. DC. XV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google